

vh. Mus. Bibl. Lep

NOVA
Deo
**NOVISSIMIS
 DIEBUS,**

Alt Problematica
DISSERTATIO

Occasione dicti Joëlici Cap. II. v. 28.- 32.

In Actis Apost. Cap. II, 17.-21. repetiti

In Pia quadam Fratrum Synodo

Proposit a

Benignæque eruditiorum Censuræ

Exposit a

ANNO M D CCLII. Mensē Febr.



NEO-RUPPINI Typis THILENIANIS.

AVON
SIMISMIS
PLUR.
REVERENDIS
DOCTISSIMISQUE
IN CHRISTO
FRATRIBUS
URBEM
Et Diœcesin Nostram
ornantibus,
Hoc quicquid est,
ESTO SACRATUM!



I. N. J.

Joel. III, 1, 2, 3, 4.

וְהִרְחֹת אֶת־רוּחָיו כֵן אֲשֶׁר־אֶת־רוּחָיו עַל־כָּל־בָּשָׂר וְנַכְּבָשׁ
בְּנִכְּסָם וּבְנִכְּסָם זְקִנִּיכֶם חֲלִמּוֹת וְחוֹלְמָן בְּחוֹרִיכֶם
חוֹנוֹנָת וּרְאוֹ: וְגַם עַל־הַעֲבָרִים וְעַל־הַשְׁפָחוֹת בִּימֵי הַחֲמָה
אֲשֶׁר־פָּרָא אֶת־רוּחָיו: וְנַתְּתִי מִזְבְּחָת בְּשָׂמִים וּבְאָרֶץ רָם וְאַשְׁר
וְהַמְּרוֹת עַשְׁנָ: הַשְׁמֵשׁ וְהַפְּרֵץ לְשָׁךְ וְהַרְחָת לְסֵם לְפִנֵּי כֹּא
יּוֹם וְהַרְחָת הַגּוֹלָל וְהַנְּרוֹת:

Secundum. LXX. ε' Αετα: Cap. II, 17-21.

Kαὶ ἐστὶ μετὰ τὰῦτα (ἐν ταῖς ἔχασταις ἡμέραις, λέγει ὁ Θεὸς)
ἐπίκειον ἀπὸ τοῦ πνεύματος μαζὶ ἐπὶ πάσσων σάρκα, καὶ προφη-
τεύσσονται οἱ υἱοὶ ὑμῶν, καὶ αἱ θυγατέρες, ὑμᾶν. Καὶ οἱ πρεσβύ-
τεροι ὑμῶν ἐνύπνια ἐνυπνιασθήσονται, καὶ οἱ νεανίσκοι ὑμῶν ὁράσσεις
ἐφονται. Καὶ (γε) ἐπὶ ταῖς δύλαις (μηδὲ) καὶ ἐπὶ ταῖς δύλαις (μηδὲ)
ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ἐπίκειον ἀπὸ τοῦ πνεύματος μηδὲ. Καὶ δῶσω
τέρατα εἰν τῷ θρανῷ (ἄνα) καὶ (τηρεῖα) ἐπὶ τῆς γῆς (κάτω) ἀιμα-
τοῦ πῦρ καὶ ἀτιμίδα καπνοῦ. Οἱ ἡλιός μετασερεφθήσεται εἰς σκότον
καὶ ἡ σελήνη εἰς αἷμα πειν (τὸ) ἐλθεῖν τὴν ἡμέραν κυρίας τὴν μεγά-
λην καὶ ἐπιφανῆ.

PE sensu literali hujus loci litticula aliqua nos inter oborta fuit. Trivium aliquod opinorum animadvertere erat. *Alii de curriculo vitae Messianæ, à Natali Christi usque ad Pascha τανεώσιμον & Pentecosten accepere. Alii de tem-*

temporibus ab Excidio Messiae usque ad excidium Solymorum intellectum voluere. *Alii* ad nostra tempora, vel proximè seculi consummationem præcessura, applicaturi. Super quo amico dissensu inclytorum, Exegetarum subiectum judicium exquirendum duximus; nemine suam hæresin mordicus defendantे, & uno quolibet nostrum in talibus plus alieno quam suo arbitratui deferente.

SECTIO I.

Equidem haud displicet consilium *τε δέντα*. *Conciliari* perquam commodè illas opiniones posse, non solum *primam cum secundā*, namque heic levicula videtur esse discrepantia, cùm παράπονγια sit non plurimum quam 40. Annorum, sed *utramque cum tertia* quoque. Si dicamus Dictum Joélis cœpisse impleri in Passione, crevissē complementum in Halosi Solymorum, consummandum plenissime in Panoletria Mundi. Excidium Messiae causam esse excidii Hierosolymitani; Et hanc Urbis ruinam, imaginem Orbis evertendi: addens, quod de colluvie malorum Hierosolymam confluente dictum, eodem jure dici posse de fecibus fecli nostri; quodque prædictum de extraordinariâ illuminatione Spiritus S. sub finem V. Tri factâ, id ipsum applicari posse ad ordinarium lumen Propheticum in fine N. Ti. in hâc vesperâ Mundi, per incomparabiles ævi nostri Exegetas, facro Canonis illatum. *Atat*: Unius loci sensus literalis non nisi unicus est, primario à Spiritu S. intentus. Non de accommodatio sensu, sed de proprio disceptamus; interim illam varias sententias conciliandi methodum, neutiquam aliás, cùm ad pacem atque mutuam ædificationem plurimum valeat, improbandam, in præsens mittimus.

Ver-

Vertitur autem in hoc solo cardo controversiæ:
*Quinam sunt dies illi novissimi, quorum in principio men-
tionem injicit? Quænam sit dies illa post novissimos im-
minens magna & illustris? sigillatim singulas opiniones
expendamus!*

*I. Si per novissimos dies intelligas nostra tempora &
que deinceps sequentur.* Tum quidem, salvâ fidei ana-
logiâ, dicere poterimus. Dictum hoc hodieque & in-
dies impleri, complendum consummandumque pro-
pediem. Ita enim est: Bonis literis renascentibus,
efflorescentibus linguis orientalibus, editis hōc & su-
periori seculō tot Lexicis & Concordantiis, Ebraicis,
Græcis (quarum ope, nani licet simus, humeris gi-
ganteis insidentes aliquantò longius prospicimus,) fa-
ctum est ut lucula non-temnenda Prophetis subobscu-
ris illata fuerit; quam majorem esse illo lumine, quod in
Papatu tenebroso splenduit, majoremque illo
quod in secundo Tertioque fuit seculo, (tum tempo-
ris enim clave illâ propheticâ & Apocalypticâ, sancta-
rum linguarum peritiâ & complementis, ex quibus
post factum sapimus, sensumque indagamus tutissimè,
destituti fuere,) nemo negaverit.

*II. Perinde enim ac infantes, circa initium Regni cœ-
lorum (N. Ti.) viventes, Evangelium de Messiâ, per Mi-
racula, mortem, misionem Spiritus Sancti confirmata-
tum, accuratius intellexere Johanne Bapt. Prophetar-
um Maximo: Sic in fine illius (N. Ti.) nostri pulsiones
rectius Prophetas v. c. Danielem, de Romanâ Mo-
narchiâ, Johannem de Anti-Chrîto, Septicollî Româ,
Angelo æterni Evangeliî ebuccinatore, per medium
cœli Ecclesiastici (Europæ Christianæ, Germaniæ
puta) circumvolitante, intelligunt, quām vel ipsi Pa-*

tres priorum seculorum. Largior, exinde, idque lumenisime, *filios filiasque*, Catechumenos nostros, rectius *Prophetas*, ex complemento explicatos, intelligere ipsis Patribus priorum seculorum, &c, si ad V. Testamentum respicias, eos vincere vel Seniores illos notitia, quam de Mesia habent, plana plenaque.

Largior *Juvenes nostros*, Theologiæ Studiosos, visuros (intellectualiter) visiones illas ab Ezechiele, Daniele, Johanne velut in Tabellâ quâdam delineatas ad oculum, quas probè perspiciunt atque intelligunt. *Seniores autem*, Veteranos puta & experientia claros Theologos, *somnia quoque prophætica*, quæ obscuriora visionibus, rectius *somniaturos*, h. e. explicaturos ac factum quondam. Quin in *ancillas servosque*, illiberalius olim habitos, brutisque annumeratos, procul omni discrimine, effundendum esse Spiritum adoptionis. Ubi vero ad *āpūn* studium Biblicum, in primis, in quo aqua tantum non omnibus hæret, propheticum pervenerit, fiet ut instantे ruinâ orbis, prodromi illi excidii mundani, *τέρατα καὶ σημεῖα ἀνω καὶ κάτω*, Signa illa extraordinaria, cœcumena & proximè diem novissimum antecedentia sese exerant; puta, *bella sanguinaria, incendia creberrima, ἄπλος κακός*, meteora igneo- aquæa, cum incendio ignivomorum montium, pestilentique vapore ex barathris & specubus emergente, sole splendorem amittente, luna autem, à terrâ ignesciente illustrandâ, rubicante.

Atque tum magna illa judicij, & illustris ēπινεώσεως dies veniet; quisquis autem olim invocaverit, atq; tum temporis provocaverit, ad *nomen* & *meritum Domini nostri J. C.* ille non solùm ab igne iræ divinæ ad orcum usque flagrantis, sed & ab illo Elementa quoque depascente, liberabitur, paucis salvabitur.

SE-

SECTIO II.

Si per dies novissimos intelligas intervallum illud 40. annorum circiter, à primâ Pentecoste usque ad excisionem Hierosolymitanam excurrentis, quo tempore largissime, in plurimos, extrâ ordinem, effusus Spiritus S.; post quod donum Prophetiae, si non desit penitus, saltim admundum rarum & incelebre fuit. Sic sensus verborum esset.

In novissimis diebus, Reipublicæ Judaicæ, animam per 40. annos à morte Christi agentis, largius atqueullo ante id tempore factum, vel fiet deinceps, charismata Spiritus Sancti, Spiritus illius Messianæ, super omnis generis carnem effundam. Et prophetabunt filii vestri v. c. Agabus, aliique. Et filii vestre v. c. Heptas illa Philippi Diaconi; Juvenes autem vestri v. c. Petrus, Paulus, visiones videbunt, ille in oratorio, carcere, hic in viâ Damascenâ, raptu, naufragio. Senior ille inter Apostolos Johannes, juxta cum aliis, somnia Apocalypticæ habebit. Quin super Servo Onesimo, alisque innomnatis, & Servabus, Ancillâ A. C. 12. Tabeâ, Lydiâ, Phœbe Spiritus S. effunderur, sic ut, ad minimum, Prophetas uar' ðmō legere, & in Gynæceis, mutuæ ædificationis ergo, explicare & ad Jesum Nazarenum applicare, queant. Succedent deinde tēgula in polo, qualia Theophania Paulo facta, & vas quadrangulum Petro ostensum, dabo ὅμηρια in solo, sanatis per preces, sudaria, umbram, non paucis, ipso Paulo viperam in ignem volvente. Adde martyrum constantiam humanis viribus majorem, in miraculis haud postremis nutririandam! Ecce sanguinem martyrum, truncato Paulo, Petro crucifixo, profusum. En Laurentium craticulæ, alios rogo ardenti impositos, vide sis vapore fumi, lento igne

igne necatos (geschmaudet) alios, exemplo Sarmentitorum, qui Romæ ceratis linteis obvoluti noctilucas faces referebant, dispositi per plateas. Videtur enim gradatim adscendere Propheta, à levi *suppicio, gladio,* ad gravius, *ignem,* denique ad gravissimum illud, *fumum,* quo merito periissent sumi venditores, non autem Apostoli, qui gratis divinæ veritatis lucem inculcaverunt.

Hæc dira suppicia, tantâ animi constantia, ab omni ætate, sexu, genere superata, luculentum signum fuere Spiritus S. effusi & virtutis cuiusdam humanâ majoris. Verum quid tum? Aliqua heic remora in medio cursu subnasci viderunt; comma hujus capitis 20. quandam difficultatem parit. Bivium sese pandit, temtemus primò allegoriam!

Ratio Philosophorum *soli* comparanda, & idolatria, cuius species subtilior est Heliolatria, quantumvis Judaismum, quantum sol lunam, suâ latitudine, superet, obfuscabitur per Evangelii lucem atque præconium. Relligio Judaica *lucula lunari,* conferenda, cum festa, Annos, menses secundum Lunæ motum, disponat, eaque ipsâ inconstantior sit, non solum amissio splendore argenteo illunis erit, sed *in sanguinem* quoque subnigrum mutabitur, cæsis in Asiâ (Palæstinâ) Africâ (Cyrene) Europâ (Cretâ) rebellibus Judæis. Cum vero *duriusculum* videatur esse quod de Sole Lunaque heic dicitur. Facutrumque fidus unam eandemque notare Rempublicam Judaicam. Sic *Sol Ecclesiastici, Luna Politici* status symbolum atque imago erit, nemine negante *splendorem Ecclesiae* Iudaicæ decusque illud fæderotii Levitici insigniter imminentum suisse & Rempublicam per dissidia cædesque à Romanis & Zelotis factas,

factas, sanguine quasi purpuratum tuisse, vertente illo 40.
Annorum spatio. Tuttissimum autem adversus Allegori-
maniam remedium esse arbitror, siquidem dicamus, stante
hac sententiâ, Joëlem describere signa iræ, non vero
gratia.

Atque sic connexio hujus commatis cum præcedentibus
hæc esset. Qui audire noluere, sentiant! Qui filios,
filias, juvenes, seniores, servos, ancillas in solo prophe-
tantes sprevere, legant in polo, notent in solo, mutos
illos instantis excidii præcones, τέρατα καὶ σημεῖα, à Jo-
sepho bonâ fide allegata, sed ex parte. Cernant cruo-
rem in expugnationibus municipiorum & velitationibus
circa pomœria Hierosolymitana effusum; intueantur
ignem tectis illis immissum, columnamque fumi, ab oppidis
circum circâ succensis, ad instar palmaræ rectâ adscen-
denter, seque per vastum aëris tractum late spar-
gentem, adeò ut Solem tenebris involvat, Lunaque five
interdiu five noctu videatur, rubicundula, sanguinis in-
star, appareat. Fient autem hæc omnia priusquam veniat
dies excidii Hierosolymitani feralis, quam diem Domini
vocat, à quo pœna inflicta, manus suas commodantibus Romanis, diem magnam, ob maximam stragam hinc
inde factam, & illustrem ob incendia. Et sanè major
fuit dies hæc illâ die Domini, qua Babylonii eam vasta-
vere, magnâ illâ qua M. Alexander & Pompejus M. ur-
bem spoliavere, die ἐπιΦανῆ, qua Antiochus Epiphanes,
vel Epimanes verius, eam expugnavit.

Sed futurum est ut paulò ante hunc feralem diem,
omnes illi, qui Christi nomen invocant & Christi nomine
Christianî appellantur, veluti titiones ex incendio pro-
tracti, serventur, five corpus eorum spectes, quod Pel-
lam fugiendo mille mortibus subductum, five bona im-
mobilia

mobilia in tempore divendita, *five mobilia* in Gazophylacium Dei, pauperes fratres, congesta, *five animas* ab æterno exitio vindicatas. Quæ omnia arguento sunt quod Spiritus S. missus fuerit, quia tām subitò, sine ullis machinis, consiliis, armis, idolatria illa gentilium, Philosophia, Judaïsmus, illa bruto impetu veterique instituto, *hec* ratione, *is* Mosis auctoritate suffultus, colapsa, à rudi illo popello, manipulo aliquo pīscatorum, eversa; Nil quicquam valentibus placitis Sapientum, antiquâ Deorum culturâ, legibus armisque, Principum præpotentum; Mirante & stupente orbe se tām subitò factum Christianum, Barbaris gentibus, Romanis, lupo voracioribus, Asiaticis, leone robustioribus, Græcis pardalos celeritate vincentibus, ad ovile & cunas in præsepi jacentis pueruli adreptantibus; Germanis sanguinariis, Corinthiis lascivis, Cretenibus mendacissimis, Parthis incestuosis, mores suos belluiños deponentibus & ferarum cicuratarum more, hanc arcam Noachi, Ecclesiam, sponte subeuntibus, El. XI, 6. LXV, 25. Atque idipsum confirmat pœna, inobedientibus Judæis in Excidio Solymorum inflicta, liberatis qui Pellam elapsi Christianis omnibus.

SECTIO III.

Verum enim vero, *do tubens*, nunquam ab Apostolorum ævo vel latius sparsum, vel purius prædicatum fuisse Evangelium, quām factum nostro ævo. In primis si in animum nobis revocemus, post Reformationem D. Lutheri, Pontificios aliosque, si non sensere castius, cautius tamen locutos fuisse. Si animum attendamus ad sitientes Afros, extremos Indos totoque orbe divisos Americanos, quibus Evangelium, post-

postquam longinquas navigationes ope pyxidos magneticæ absolvendas, instituere cœpere mortales, annuntiatum.

Nego autem de incremento illo visibilis Ecclesiæ & Theoreticâ divinarum rerum cognitione, post tenebras Papales insigniter auctâ, agere Joelem. Quis enim dicat (a) Petrum temere hoc dictum allegasse, & quod de nostris temporibus, prout ipsis placet, agit, applicuisse ævo Apostolico? Petrum per errorem ad hanc Pentecostalem & extraordinariam illuminationem, ad initia N. Ti. traxisse illud, quod de ordinariâ illuminatione circa finem N. Ti. agit ex professo. (Extraordinariam enim & Apostolicæ parem si quis, potissimum hâc mundi fecerit, exspectet, nā ille parum à crasso aberit fanatismo.) (b) sec. Joëlem, post diem illam magnam, & illustrem Asylum erit in monte Sion & Jerusalem, paratum superbitibus, deinceps adhuc vocandis. Et interprete Petro: post eandem σωθεταὶ πᾶς ὁς ἀνέπικλεστα τὸ ὄνομα κυρίου. Itaque dic sodes! An post magnam illam judicii extremi diem, quam intelligis, aliqui adhuc vocandi sunt? Num salus post judicium, speranda impenitentibus, adhuc vocandis? Num πᾶς, quisquis κύριος clamaverit salvabitur? (c) adhæc haud video aliquam illuminationem circa seculi hujus feces sperari posse, quæ illustrior Apostolicæ! Dicant nonnulli complementum, quod in Actis Apostolicis, aut Ecclesiasticis, legitur, non respondere amplitudini, quam animo conceperet, Prophetiae Joelicæ. Credant se nondum invenisse (equis enim vel legit omnia quæ scripta, vel scriptis omnia, quæ gesta fuere?) magnificis hisce promisis respondentem parem successum, ac ob id eum adhuc expectandum esse? Perinde hoc mibi, qui spes suas nemini invideo. Hoc interim piè credo, im-

pletum esse quicquid prædictum divinitus, quantumlibet silentio id omnes Annalium scriptores prætererant. *Hoc scio* quod spes, quam animo concepimus, atque, pro eo ac lubet, in infinitum ampliare possumus, Deo modum non præscribat, nec in omni Prophetiā tantum promissum sit divinitus, quantum mortales miseri sibi imaginantur atque promittunt. (d) Denique, quod palmarium Argumentum puto, *Nufpiam in N.T. τὸ ἐκάρτους ἡμέρας*, dies proximè seculi consummationem præcedentes designat, quod heic suppono, probandum deinceps.

Quod secundam opinionem attinet, eam, cum à tertia parum discrepet, non adeò impugnavero. Finem enim V. Ti. cum quādam latitudine accipi debere puto. Sic ut *Sol V. Ti. declinare & vergere ad occasum cœperit* Sole justitiæ Bethlehemi orto, *Horizontem attigerit in Paschate, infra cum depresso fuerit in Pentecoste, crepusculumque usque ad Excidiū Hierosolymitanum*, pertigerit. Vel, si malis umbris, non autem luci comparatas hasce ceremonias: Puto omnino *umbrae Leviticæ rariores factas* orto Phosphoro, Johanne Baptistâ, *disparuisse* Christo sub velo carnis apparente, radiosq; Majeſtatis suæ, per quandam quasi Atmosphærā, in *κυνόσεως* statu emittente, *sublatas* autem, *de jure* quidem rupto Catapetasmate Templi, *Templique Domino exclamante τετέλεσαι*, *de facto* autem tum demum ubi Regiā ſede funditus excisâ, saleque confpersâ, Politia Judaica unâ cum ceremonialibus & forensibus LL. fuit abrogata. *Leviticæ enim Ceremoniæ, quæ mori potuere semper, capere nato Servatore, fati fundetumulataeque Christo moriente sepultoque; quæ mortue fuere quoties à mortalibus adhibita post Pentecosten, in gratiam Judæorum, mortiferæ sunt factæ postquam Pseud-Apostoli crama*

ma aliquod religionum moliri cœperunt, *peſtifere* de-
mum & exitiales factæ post excidium Hierosolymita-
num. Per hoc ipsum enim ad oculum demonstravit
supremum Numen, sibi displicere umbratilem hunc
cultum, ut ut operose in Bibliis inculcatus, ab ipsomet
Servatore observatus, ab Apostolis post Pentecosten
quoque adhibitus fuerit; Sublato enim foro, foco, ur-
be, templo, leges quoque forenses & focariæ (Cere-
moniales, de sacrificiis) ipso actu tolluntur.

SECTIO IV.

*Quò minùs autem in hac secundâ sententiâ acquiesca-
mus nonnulla videntur obſtare. Non videtur probabile (a)*
Joëlem in Thesi, Petrum in Exegefî, filiuſſe miracula
nuperrima v. c. Eclipsin, & tenebras paſionales, de-
quibus, niſi heic loci denuò agatur, vix alium inveneris in
toto ſacro codice. (b) τέγατα καὶ σημεῖα Apostolorum, vix
uno eodemque die cum Mesianis longè ſublimiori-
bus nominanda, heic allegari, præteritis miraculis Chri-
ſti? (c) Nec omne punctum feret Exegeſis: Nam-
que quaे de Sole & Luna dicuntur *vel minutè* & *dilutè*
acciendi de fumo ad fidera ſublato, per quem Sol qui-
dem, oculis nostris eripietur, neutiquam *autem*,
μετασηραφήσεται εἰς σκότον, nedum Luna *εἰς ἄκα*, vel
per *πεωθύνεσσον*, mutatâ ferie historicâ, ad Eclipsin paſ-
ſionalem recurrentum veniet. *Vel* denique defultio-
ria quadam agilitate *ad Allegorias* confugere oportebit;
quod Asylum intutum & apud Exegetas ſuſpectum
eft.

*Quāvis ergò in Exegefî Prophetarum raro ad mi-
nutula illa, quānam decade vel Sexagenā hoc illudvē
impletum fuerit? descendamus, laxiori aliquā, cum ap-
plicatio in Chronologicis instituenda eft, libertate gau-*

dentes; Gaudet tamen impensè animus, quoties serie temporum haud interruptâ apud Prophetas fata Capitis (curriculum vitæ Messianæ) vel Corporis (Ecclesiæ) annotata invenio.

Atque hoc in tertiat, quam nunc allegabo, opinione me invenisse mihi videor. Novam dicant hanc sententiam, quibus nova omnia suspecta'; εὐρημα hoc (quod sic quidem à quoquam explicatum me legisse, haud memini) leve, nec tanto dignum hiatu, per me judicent licet, dummodo si quid certius his constet, candidè impertiant, meliora nos docturi, hoc examinato. Tribus autem aniri nostri sensa explicaturi, nos expediemus verbis. Supponemus primò: quomodo τὸν ἐχάταις ἡμέραις in famosiori significatu accipiatur? Tum exponemus, quomodo intelligamus vaticinium Joëlis? Tandem apponemus, illustrandæ Exegeseos ergo, quæ præcedunt vel sequuntur apud Prophetam & Lucam? Itaque.

SECTIO. V.

(a) Suppono: τὸν ἐχάταις ἡμέραις nupsiam de diebus proxime seculi consummationem precedentibus usurpari, Semper autem de ultimis diebus V. Ti. vel latius vel strictius accepti, h. e. vel ad Pentecosten vel ad Halosin Solymorum extendendi. Inveni ὀμόδυνος ex parte Calovium, qui ad verba Esiae II, 2. sic commentatur: dicuntur hi dies novissimi, non respectu mundi, ut volunt Judei, sed quia finem afferunt V. To. Drusius Hof. III, 5. addit, quodnam novissimorum dierum sit initium? Extremi, inquiens, dies incipiunt ab eo tempore, quo Christus natus est. Kimchii Regula notissima est: Quocunque in loco mentio sit extremitatis dierum, in eo intelliguntur dies Messie. Verum magiori opus est αἱρεσία. In vulgus nota est Trichotomia magnæ

magna Hebdomados Judaicæ. Dies seculi in tria bis-millennia dividunt, quorum primum תְּוִרְׁחָה, alterum תְּוִרְׁחָה, tertium מֵשִׁיחָה, vocant, nec insolens in Synagogis ut 2000. Annos vocent dies, eosque novissimos, quia tamdiu Messiam in terris superstitem regnaturumque somniant. Nobis autem, qui Christum profitemur, eumque tantum per tricennium, & quod excurrit, in terris vixisse credimus, maxime cum res sit cum Empæctis & Atheis, qui clamant nimis cata-chresticę, bismillennium pro diebus novissimis accipi, nimis audacter de ultimo die, horā, momento, Hie-rologos nostros, per tot secla declamasse, aliquanto ma-jori cum accuratione agendum venit, diesque Messie appellan-di, curriculum vita Christi, & dies ultimi, pro ultimis V. Ti. vel Reipublice Judaica temporibus accipiendi.

Equidem non erat primò animus ad V. Tum. provo-care, quod stadium primā fronte prolixius videbatur quam ut in præfens decurreremus! sufficere potuisset ḥ. אַחֲרַת הַיּוֹם uno saltim in loco de fine V. Ti. accipi. Sic reddidit illud Calorius Es. II, 2. Ubi ultimi Anni V. Ti. (in quibus Messias vivet & excindetur) venerint, Ecclesia N. Ti. ad instar montis magni surget in altum, inchoatā universali gentium vocatione; tum quae colliculo Sioneo quondam par, Atlantis instar erit Ecclesia!

Verum ne quid relinquamus intactum vel intentatum. De Phrasi אַחֲרַת הַיּוֹם, novissimi dies, aliquid ex Veteri quoque Testamento adjiciemus. Equidem haud facio ex asse cum Grotio apud Dan. II. 28. dicente: *Hec locutio multos ejus ignaros ad prævas sequentium interpretationes egit, cum nihil aliud significet, quam postbac, nam utique non postremum, sed omne quod est posterius significat.* Interim largior vitium hoc, etiam apud

apud Nobiles Interpretes esse perquam familiare, ut quoties hanc Phrasin, *novissimi dies*, conspicantur in textu, ilicit, quasi quodam μορμολυκέω perterriti, à regia viā filoque Propheticō subitō deflectant, & ad nostra tempora recurrent, insuper habitis, quae antecedunt in textu, vel quae sequuntur; Cum tamen vix ullo in loco hęc Phrasis de fine mundi accipiatur, sed vel tempora deinceps secutura, vel ad summum, ultima V.Ti. notet, & ad Regulam illam Ebræorum, in Sacris Literis non esse prius vel posterius, hoc est, seriem & discrimina temporum, cum primis apud Prophetas, non attendi, non veniat, recurrentum, nisi summa cogat necesitas.

Tempora deinceps secutura notat Ps. XXXVII, 38.
אַתָּה נָבִיסְמֵנוּ impiorum excindetur, zulegt B. Lutherus. Prov. XVI. 25. *sein leges*, Prov. XIV. 12. endlich Lutherus. Semperque ad substratam materiam respiendum, hujus enim finem notare solet. Ideò quærerit Jeremias V. 31. *Quid ergo facietis in novissimo ejus?* Puta vel terrae vs. 30. vel populi vs. 31. *quid facietis in Captivitatem Babyloniam profecturi?* de qua toto Capite subsequente 6. agitur. Similiter Jer. XXIII. 20. *Non revertetur ira Domini (re infecta) donec faciat & statuat exemplum,* In novissimo dierum (hernach B. Lutherus) in captivitate Babylonica illud experiemini, daturi pœnas sat graves. Idem in Threnodia Thren. I. 9. accusat Synagogam, *quod non recordata sit novissimi sui, captivitatis puta Babylonicae!*

(a) *Finem Veteris Testamenti* notare videtur Gen. 49, 1. Jacobus in Cantico Cygneo parœmiam sic aūspicatur. *Dicam quidnam vobis evenire debeat in Novissimo.* Lutherus in künftigen Zeiten. Si accurate Textum inspicias, invenies non extendi Prophetiam ultra sceptrum
 Judæ,

Judæ, Legislatores & Schiloh v. 10. Aut ergo de secuturis temporibus indefinitis accipe, cum Luthero, aut ad finem V. Ti. extendito, & sic sensus esset. Nuncia bo grande quoddam, quod vobis eveniet, beneficium. Naicetur Mesias circa finem V. Ti. & Politia Judæ, ex Tribu Juda oriundus; hoc, quod indicare volui, palmarium est, coetera quæ accident, ut minus memorabilia, sunt, ita ὡς εἰ παρόδη allegabuntur à me, cui Ergon Mesias, Salutare illud quod exspecto, coetera Parerga, nec tanti! Itaque dies novissimi non extenduntur ultra adventum Mesiae & Synedriū sublatum.

(b) Concinit Bileamus, vates quo nequior, hoc planior, Num. 24. 14. *Consulām Tibi quid facturus sit populus ille populo Tuō in novissimo dierum!* Sermo est Θεοπνευστός Prophetæ, atque sic infallibilis, & legi divinæ conveniens. Maxima quidem Interpretum pars in ea est sententia, Bileamum hoc loco promittere consilium, illud subdolum, à Satana vel jam suggestum, vel sugerendum deinceps, de Scortis Moabiticis in castra Israëlitarum immittendis, quod datum fuit Num. 31. 16. patratum ab Israëlitis Num. 25. 1. punitum per eosdem divinitus, 2. Sam. VIII. 2. Davide duas tertias Moabitarum internecione delente. Quæstio autem hoc reddit. Quid facient Israëlite Moabitis? Bonane an vero Mala? Vulgo mala! Neutiquam hoc probabile! (1) Sensus est contortus, si dicas: O Ziporides, non sum jam mei compos, loqui me vera oportet, ad instar asinæ quæ vectus sum, nolentem volentem. Ecce autem ubi extra Θεοπνευστος statum constitutus, domumque, quo nunc propero, reversus fuero, consilium tibi suggestum sceleratum, quidnam Ammoniticus populus tuus Israëlico facere debeat, ut Hyperaspisten, DEum,

C

Israëlis,

Israelis, ipsis reddat inimicum. (2) Non dicit Ebræus, quidnam Moabitæ Israëlitis, sed quid hi illis facturisint. (3) Absurdum est, vel cogitatu, Bileamum, eo tempore, quo lingua ipsius stylus scribæ velocis extitit, os comodaſſe Diabolo, vel mala confilia, vel spem faciendo de illis ſuggerendis. (4) Et quis chasma aliquod Satanicum comminifatur in medio θεοννευσίας cursu? quis Bileamum modò θεόπνευσον, modò Energumenon fuſſe, mox iterum factum Prophetam, & per quandam quaſi Parenthesin, diabolicum confilium immiscuisse Prophetiæ? Rectius dixeris: *Docebo Te, ecquid boni facturi sint Israelite Moabitis?* exemplò enim occipit Parabolam suam *de ſtella ex Jacob oritura*, v. 17. Mens itaque Bileami hæc eſſet. O Balak! Non poſſum maledicere populo divinitus benedicto, Num. 23, 8. ἀΦορισμένω 9. beatè morienti, 10. Nec muto mentem, Jehovah eſt ἀψευδής 19. Israéli adeſt propitius 20, 21. eos educens ex Aegypto 22. vincens Magos per digitum Dei, miracula, 23, victurus gentiles brachio roboris ſui. Et quod dixi id ipsum denuò conſirmo. Num. 24. 7-9. Regnum eorum erit ſublime, alacres Subiecti, Gentiles quidem eos perſequentur, Leoni tamen erunt ſimiles, domito hoſte quiescent, & benedictus erit, quiſquis ipsis benedixerit. Cum verò Balakus Bileamum, tertia vice bona augurantem hoſtibus, tertium corriperet, poſtulans ut diras evomeret in hoſtes, tandem demulcendi Regis ergò ſic infit: v. 14. Audin Ziporides! Regna tu moliris, ſed per ruinam ſtragemq; Israëlitarum, ita de Tui populi ſalute follicitus, ut, niſi Israëlitæ pereant, Ammonitas ſalvos fore dubites! Vis ut maledicam, nequeo, ſanè, genti ex qua fons omnis & omni gena benedictionis, Servator communis, orietur.

Ve-

Velim ergò scias, aberras à limine! Præstaret utique, si illa curares quæ ad Regnum cœlorum, Tuam, Tuique populi spectant salutem æternam; Ergò consulam Tibi in præsens, quidnam è Tua re olim sit futurum? Docuero quantum boni populus ille Israëlis, posteros quidem Tuos, O Rex, Temet autem neutiquam afflicturus, facturus sit Ammonitis, dira quæque & internectionem, innoxio huic & toti orbi saluberrimo populo, molientibus. Hinc enim Phosphorus ille universo orbi salutaris exorietur, qui hanc gentem destruit, propriæ securitatis munimenta convellit.

(c) Suffragatur Pro-Rex ille, Deique Cancellarius, Moses, Deut. IV. 30. *Cum anxius fueris, O Israël, teque invenierint omnes res illæ, בָּחוּרִים הַיְמִים in diebus novissimis, converteris ad Deum Tuum.* Attendamus ad præcedentia. Nexum hunc deprehendemus: Ego moriar,²² vos in Palæstinam venietis²³, cavete per animam Idolatriam²⁴. Numinis iras proritantem.²⁵ Præfigit mens, fore, ut ubi natos natorum & quinascetur ab illis sequens ætas viderit, Idolatriæ vacetis.²⁶ testor haud fore impune²⁷. disperget vos supremum Numen inter Gentes, fece vulgi relicta in Palæstinâ.²⁸ ἐν διασπορᾷ hâc Babylonica Deastris sculptilibus, ligneis lapideisve (quod neutiquam factum à temporibus Christi) servie-²⁹ tis. Quod si illuc quæsieris Deum toto corde, invenies eundem propitium, redibis ex captivitate, & post afflitiones, sub Epiphane Romanisque inaminentes, *in diebus ultimis*, converteris. Rabbini, in minutulis apicibus colligidis viri, si Diis placet, maximi v.²⁵ per Gematriam ex verbis בְּרֵשֶׁת וְעַשְׂנֵת colligunt Annos 852. quot elapsos contendunt ab occupata Palæstinâ usque ad *persicatiam* Babylonicam, & sic reddunt, *ubi inventi-*

rati fueritis oportebit veteres migrare colonos. Subtrahe enim.

Ab A. M. C. 3350. quo Jechonias abductus;

A. M. C. 2493. quo Georgia & prima Hebdomas annalis in Canaan cœpit.

Et habebis differentiam Annorum 857. Obiter hoc allego, quia calculus non fert omne punctum; Quicquid autem sit, quinquennium illud nil nos morabitur. Namque ab A. M. 3339. quo Jojakim abductus usque ad A. M. 3360. quo Solymorum urbs eversa, per totum vicennium duravit illa fundi Judæi calamitas; Ad hæc initium Georgias non usque adeò certum est.

(d) Paria cum Mose facit Jeremias cap. 30. 24. *In novissimo dierum intelligetis illud!* Caput totum de liberatione ex Babel, & spirituali per Messiam, expectandâ, agit, Calovio auctore. De captivitate v. 3. paucis, sed pluribus per epexegesin v. 5-7. Pollicetur dein partem solatii *quotamcumque*, liberationem ex Babel v. 8. addens partem *multò maximam* v. 9. de Messia, Rege David, (Zorobabel enim nuspiam Davidis nomen aut regiam dignitatem gesit) ex Davidis profapiâ oriundo, filii Davidici successore dignissimo & Antitypo illustri, à Deo, pro Misericordia antecedenti, excitando. Subjungens, ecquid ergo opus ut timeatis? En liberationem, non solum à Babylonis v. 10-20. promissam, sed spirituali quoque expectandam à Mesiâ, qui Magnificus, רַבִּיר (nomen apud Rabbinos Messianis annumerandum,) ille & dominator salutatur, qui ἐγγυός, qui ad humanitatem ut Deus, & ad Deum ut Θεούθρωπός & Mediator accessit; quotusquisque enim est, qui ausit ampliare cor (so voll-herzig seyn) ut ad Dei Tribunal accedit tanquam Vas & Præs generis humani. v. 12. Atque tum

tum v. 22. pii erunt populus Deo carus, impii autem v. 23. à Deo punientur, potissimum in Excidio Hierosolymitano. Deus enim, cuius decreta *ἀμεταμέλητα*, decrevit, nec intelligetis illa, priusquam eveniant. v. 24. Atq; tum cap. 31. 1. sequitur conversio Judæorum, circa initia N. Ti. facta; Totum quippe hoc caput de Regno cœlorum sub scheme liberationis Babylonicæ depingendo, luculentissimè agit. v. c. de Bethlehemitico Infanticio 15. novo feedere cordibus insculpendo, 32, 33. de fœminâ virum circumdante. 22. Altero enim oculo ad corporalem, altero ad Mysticam liberationem collimat; quem sensum fuisse Spiritus Sancti probant allegationes in N. To. factæ. Interim nora sis non extendi novissimos dies ultra ætatem Mesiae & Novum fœdus initum.

(e) Confirmat hoc Daniel cap. 2.28. *Dens notificavit Regi Nebucadnezari quid futurum sit* בַּאֲחִירָה יְמִינָה in novissimis diebus. Si consulas Interpretationem somnio subjectam, deprehendes, non agi de nostris temporibus, sed de fine Trium Monarchiarum, & initio Quartæ, vel potius imperii Messiani. Aut itaque cum Lutherò redde in künftigen Zeiten. Aut de ultimis diebus V. Ti. in quibus v. 34.35. *lapis ille Angularis, nulla manu interveniente à monte revulsus, Regna illa Mundi, Sàtanæ subiecta, cui strenue operas suas locavere Magnates, sic conteret, ut quicquid in illis Satanici est destruatur, Christianismo omnes illas IV Monarchiarum terras occupante, tandem in montem totum Mundum replentem transformandus, Christo ad celos adscendente, ut omnia in omnibus repleteat. Existimo namque Regide per turis Regnis curas pervigiles insomni illa nocte agenti, à Deo, modo quodam convertendi extraordinario,* ostensum

ostensum fuisse Regnum cœlorum, & Regem Regum, Messiam, ut manu quasi duceretur Nebucadnezar, per caduca ad æterna; Palmaria quippe hoc somnium immittendi causa fuit, ut sciret quantum Deus in novissimis diebus beneficium per Messiam Orbis sit daturus, & ut misfis vanitatibus feculi, lapidi huic angulari suam quoque fidem superstrueret. Reliqua obiter allegantur, & Colosi structura ideo latius explicatur ut tanto magis mirere eum subito comminutum. Hoc enim Deus curet, scilicet, sciatne Nebucadnezar, an ne sciat revolutiones imperiorum, quas curiosuli nosse discipiunt? Dices hoc ad fastum Regium reprimendum apprimè facere, si sciat suum à Persis, horum à Græcis, Græcorum Imperium à Romanis, evertendum. Verum sufficiebat huic reprimendo fastui metamorphosis Regis ad bruta bouisque pastum amandati; hinc abunde didicit, omne sub Regno graviori Regnum esse; hoc prius docendus erat, Monarchs quoque in Regem Regum debere credere, Illiusque pedibus omnia subjicienda. Ad minimum Sole meridiano clarius est, novissimos dies non extendi ultra terminos lapidis avulsi, & in Montem transformati, diem puta nativitatis & ascensionis Christi.

(d) Addit idem Propheta Dan. XII. 4. quamvis Phrasis non sit eadem. Aliud quippe יְהִי־עַתָּה, aliud אַחֲרֵי־הַמִּזְבֵּחַ; Sic autem Apocalypsin Veteris Testamenti finit Deus: *Et tu Daniel verba clande & signa librum usque ad tempus finis.* Nota autem, non dici hanc Prophetiam claudendam & obsignandam usque ad finem omnis temporis, sed temporis definiti, puta LXX. Hebdomadum. Nam tum judicabunt h. e. accurata rationis trutinâ examinabunt eam, non solum pauci illi Judæi,

Judæi, sed *numero plures*, gentiles quoque, & *multiplicabitur scientia*, de revolutionibus imperiorum æquè ac de Messia: Sane de nostro ævo id accipi nequit! Ecquis enim finito vel elapo, quod Mundo definitum est, tempore, in æternitate leget Danielem? durabitne scriptio post seculi consummationem & conflagrationem? Tumne scrutinio locus erit? Tumne ex ænigmatisco illo verbo crescat scientia? Fietne ut in ipso fine temporis, aut post finem, alii purgentur, confirmantur, alii impie agant, negligantque Prophetias v. 10.? Utique improbare videtur Spiritus Sanctus Judæos, qui, ex odio quodam aduersus Messiam, vetant Scrutinium Hebdomadum, & Danielem sacro Codice quasi eliminatum, vix Prophetis, cum extra Palæstinam vaticinia sua scriperit, annumerandum, quem vix dignum judicant, qui agmen claudat facri Canonis. Adversus quod vilipendium Prophetam solatur Deus, promittens fore, ut in fine dierum, V. Ti. accuratisimos Scrutatores inveniat. Addit enim, Exegeta juratus, Angelus, cum completa fuerit dispersio populi Sancti (Judaici) complebuntur hec omnia. Atque tum demum digreditur ad afflictiones Christianorum, per tempus, tempora, & dimidium temporis duraturas, v. 7. hoc est per Tres annos cum semisse. Tanto enim temporis spatio Christus multa docuit & passus fuit plurima. Tanto etiam membra corporis mystici, capiti futura simillima, intervallo multa patientur ab altero Antiocho, Antichristo. Praecedunt itaque dies novissimi excidium Hierosolymitanum. Pergebat autem Daniel sciendi avidus וְאַלְמָנָה quid post definitum tempus fiet? v. 8. quid post διασπορὰν & Halosin Solymorum? Chronotaxi N. Testamenti poscens. Responsiloco autem accipiens.

O

O Daniel nolo te scire cuncta N. Fœderis mysteria, nolo per Te illa profanis & sciolis prodi. Abi ergo, sufficiant quæ dixi, impervia enim cœtera, & quodam quasi sigillo occultanda ψ-τ-ν-υ usque ad finem V. Ti. v. 9. ecquid enim opus oculis emissitiis lustrare tempora N. Ti? Reservabitur hæc palæstra Johanni Apocalypsin conscripturo.

Quodsi autem omnino aliquid de fatis Ecclesiæ sub Antiocho novello, Antichristo puta, premendæ nosse velis; Ecce tibi tempus, tempora cum dimidio, atque ut initium finemque calculandi scias, incipito numerare ab illo tempore, quo Juge matutinum remotum fuerit, possumq; βδέλυγμα ἐρημώσεως, v. II. Aquilæ Romanæ, rapaces, impuræ, thure atque suffitu honoratae, totum fere orbem vastantes, in loco sancto Sanctæ Palæstinae defixaæ fuerint, Tum enim per dies 1290. Anti-Christus tectius primò, mox apertius dominabitur. Beatus autem erit, qui vivendo attigerit annos 1335. v. 12. Tu vero Daniel, qui initium N. Ti. & finem V. Ti. non es visurus, in tumulum ito ut placide quiescas & resurgas in fine dierum v. 13. vel V. Ti. Si Christo mortuo Daniel surrexit, vel N. Ti, si in die ἀποκατασύσεως πάντων demum resurget. Dies enim illi 1290. fere respondent Danielis 3. annis cum semisse, h.e. 1277, vel si addas intercalarem 1278, diebus & dimidia constantibus; Nec multum à 1290. diebus absunt Apocalyptic 1260.; addendum namque videtur, tricennium vitæ Messianæ. Atque hi dies ad Novum spectant Testamentum. Et si calculum velis instituere, pulchre congruent omnia. Adde enim Anno 70. quo Hierosolyma & Politia excisa fuit, Annos 1290., Et habebis Annos post C. N. 1360. quo Academia Pragensis fundata & à Wilefo, scripturæ Interpretæ, à Taulero Sancto, docto

docto Francisco Petrarchâ, Brigittâ celebri, aliisque veritatis Testibus Cleri Romani vitia acriter perstricta. Felix autem erit, qui vivendo attigerit *diluculum* illud veritatis Evangelicæ. Felicior autem, qui *auroram*, Anno post sublatum juge matutinum 1335. h. e. Ann. 1405. quo Husius, Anno ante Sacerdos & Prædicator in Bethlehem constitutus, floruit, decennio post, Anno 1415. crematus Constantiæ. Felicissimus qui *plenam diem*, Lutherò seculo post nato; namque ut *ille animas*, sic *hic corpora* à Tyrannide Babelis liberavit, *impugnans* & *vincens* bestiam illam multorum capitum. Nec est quod mirere illicet ab eversione Solymorum inchoari dies Anti-Chrîsti; Johannes enim testatur *jam venisse* multos, Anteambulones & Collegas Papa Romani, qui uno eodemq; Spiritu Anti-Christiano acti, Et D. Paulus, uterq; ante excidium fato functus, *addit neminem obstat* præterquam (*έ νατέχων*,) brachium seculare, Romanum Imperium, pro cuius incremento vel decreemento cristas erigere aut demittere soliti Pontifices. Testem appello Historiam Ecclesiastico - Politicam. *Cæpit* namque Potentia bestiæ Romanæ, cum in *Quartadecimanos*, Iconomachos, satis audacter vibrata à Pontificibus anathemata; *Crevit*, Græcorum imperio imminuto, dominantibus in Italia Ostro-Gothis, & Longobardis; *aucta admodum* sub Phoca, Titulum Episcopi Oecumenici, & Exarchis, soli aliquam partem concedentibus, *Obstat* autem validum *Longobardorum* imperium: *Victo* captoque Desiderio Regum ultimo, par robore, vel major, succedebat *Carolus*, cui victori Titulum Romani Imperatoris Papa abblandiens objectabat, nihil ausus adversus ipsum aut filios præpotentes moliri. Accedebat metus à Sarracenis, qui subacta Cretâ Siciliâque

D

Com-

Campaniam invadebant, Corsicæ & Sardinia immi-
nentes. Paria fata erant Pontificum sub strenuâ Otto-
num Trigâ, adversum quos, pro auctoritate Papas eve-
hentes dejicientesq; ne hiscere quidem ausi fuere, im-
petendos autem per æmulos, Berengarium, Crescen-
tium, Domentanium, quin, quibus Otto Sanguinarius
proditus fuit, ipsos Saracenos. Ausi tandem aliquid gya-
ris scil. & carcere dignum sub Henricis; *Henr.* II. com-
modus & ad obsequia facilis, ac ob id *Sanctus* vocabatur;
Conradus & Henr. III. amici quidem Papæ, sed necessarii,
Normannis Apuliam cum Calabriâ occupantibus. Hi
ex hostibus Papæ Clientes facti, Ductore Roberto Gui-
scardo, animos addidere Höllen-brando & T' Urbano
Pontificibus anathematismos in Cæsares stringenti-
bus. Atque hâc ratione strenuus ille, juvenis licet,
Imperator *Henr.* IV. cum animosior esset, quam ut ipsum
Papa ferre posset, excommunicatus fuit plus semel, *Ru-
dolpho Svevo*, *Conrado & Henrico* filiis, adversus ipsum exci-
tis. Ad dñm p̄venit Papa-Cesaria Seculo XII. *Henrico* bis
proscripto, *Lothario* autem & *Conrado*, turbarum pertæ-
fis, de investitura amicè transfigentibus, *Barbarossa* Vene-
tiis proculato, reliquisque Principibus, quibus genero-
fior sub læva mammilla saliebat sanguis, ad sacras ex-
peditiones ablegatis; Evidem *Henrico* VI. dextra ma-
nu impositum diadema lævo pede decutiens Papa, non
ausus tamen *bunc* moribus aperum, aut *illum* bellico-
sum solemniter excommunicare, sibi timens ab Albi-
gensibus, quorum intra decennium 100000. perierte,
quibus utcunque represis, erecto, ut perpetuum habe-
ret militem, Francicorum & Dominicanorum ordi-
ne, ad genium glandesque rediit, *Ottone Brunsvicensi* se-
mel & *Friderico* II, quem surrogaverat, quinque ex-
commu-

communicato, tandem Hierosolymam, velut in insulam, quadam specie religionis, alegato. Tempore Regni incerti vel *Interregni* nemo erat, quem potuisset anathemate percutere. Adhac domi sue habebat rerum suarum quod fatageret; E medio tollendus erat Conradus per Manfredum, Manfredus cum Conradino per Carolum Andegavensem, Caroli Exercitus in Vesperis Siculis per Arragonium, Arragonius ipse, Regnum sibi vendicans, excommunicandus; quibus sceleribus seculo dimidio feliciter confectis, *Philippus Pulcher R. Galliae* petebatur, datâ *Alberto coronâ Cæsareâ*, quam sibi Papa prius imposuerat, ea autem lege, ut Galliae Regnum occuparet; Verum malebat Albertus Gener esse Philippi, quam hostis; Et *Philippus* mox anathemate percussus, Italiam invadet, probèque depalmato & in carcerem conjecto (mali-) Bonifacio, post jubileum institutum strenue ejulante, Galliae suæ libertatem, Germaniæ pacem reddebat. Sic Piscator iectus ad tempus sapuit, accedente Seceßione Avenionensi, multarum calamitatum fœcunda matre. Ultimus, ni fallor, Cæsarum fuit *Ludovicus V. A. 1324.* anathematis subiectus, nec sine omni, Nam si addas Anno 1290. Emortualem Christi 34. habebis A. 1324.

(g) Sic reddendum videtur Hof. III. 5. (Fac enim instare adhuc illustrem aliquam conversionem Judæorum, quam utique piè optare malo, quam ob συληροπαρόλας populi sperare expectareque, ea potius ex Novo quam antiquato fædere erit probanda:) Israëlitæ *Idololatre* (quā crassam idolomaniam nostris recutitis, quis queat objicere?) *convertentur & revertentur à Babylonis in Palæstinam & prægrandi cum affectu magnoque cum desiderio querent Deum Trinum.* Non solum Jeho-

vam, Deum Patrem, quem *Deum* credunt, *suumque arbitrantur*, Sed eodem quoque desiderio cultuque *quarent* Filium, non ἀστρον, sed ἐνστρον, Regem, ratione humanæ naturæ unctum, stirpeque Davidicè oriundum, quin *Jehoram* (Sp. Sum) *gratiamque Christi*, ab ipso oblatam, spretam haec tenus ab Operistis, *honorablebunt in diebus novissimis*: sc. V. & N. Testamenti confinio. Nec ab illo sensu videntur abludere *Jerem.* XLVIII, 46. 47. & XLIX. 39. repetitæ Phrasæ, maximè cum Elamitarum, à Satanae jugo liberatorum, mentio fiat. *A&t. II. v. 9.*

(b) Micham Esaiae σύγχρονον audiamus Cap. 4, I. *Et in novissimo dierum mons domus Domini (Ecclesia) stabilitus in vertice montium & sublimior collibus, & confluent ad illum populi (Judæi) isthuc properabunt Gentiles.* (Nota præcedere vocationem Judæorum, sequi Gentilium, ordine præpostero utuntur, qui post conversos Gentiles, Israëlitas putant convertentes.) *Nam* (in Pentecostes feria) *Lex Domini & Verbum Dei* (Evangelicum) hucusque arctis Sioneis & Hierosolymitanis pomœriis conclusum, egredietur, ad ipsos usque Gentiles. Atque heic dies novissimi vocationem gentium & Pentecosten præcedunt!

Cum verò ultima tempora in Sacris Pandectis ut criterium quoddam adventantis Messiæ & novæ legis ponantur, oportet utique *dies novissimos certos esse*, & definitos in Bibliis. Evolvamus ergò sacrum illud Calendarium, Danielem, & inveniemus tempus maximè notabile, interque illa quæ divinitus definita, celebratisimum esse *LXX. Hebdomadum, ultimos autem dies esse illos, in quibus docuit Christus, & sublatum est juge matutinum, quod factum ultima Hebdomade, in qua fœdus confir-*

ma-

mavit, in qua ceptum per dies numerari; ut adeo *Tempus definitum sint Hebdomade, dies autem novissimi, ultimum septennium quod cis & ultra mortem Servatoris extenditur.*

Obstat videtur Ezechiel cap. 38, 8. *Nach langer Zeit מים post multos annos (V. Ti.) in novissimo annorum תחירותה השנים (N. Ti.) veniet Gog & Magog in montes Palæstinæ, gladio variorum populorum, in expeditionibus facris, adversus Sarracenos suscepis, vindicatos.* Verum alia est phrasis: *Lis illa de Gog & Magog nondum est perorata.* Babelis nomine Roma, & Gogi Magogique nomine veniunt hostes Ecclesiæ circa ultima N. Ti. tempora oriundi. *Quis autem velit omne illud, quod de Babel dicitur, unicè ad Romanum applicare, aut quod de Gogo Magogoque interseritur, rapere ad Turcas aut Tartaros solos.* Fuit olim Babel, Gog & Magog, & erit olim; quamvis Typi perierint, Antitypum tamen nos videmus, atque utinam non sentiremus! Respondero & ad hunc locum, ubi interpretibus convenerit de toto capite. Tandem. *Quis queat omnia Ezechielis, Scriptoris Apocalyptici, in tanta Historiæ Sacrae & Geographiæ antiquæ penuriā, pvide-re mysteria?*

SECTIO VI.

Agite ergò ad N. Tum. digrediamur! Aliquo autem hic agendum cum discrimine. *Quoties in singulari numero τῆς ἐχάρτης ἡμέρας mentio fit, toties intelligendus est dies omnium dierum ultimus atque novissimus, resurrectionis puta & conflagrationis.* Testis est *Johannes c. VI. 39, 40, 44, 54. c. XI. 24. c. XII. 48.* *Quoties autem in plurali τῶν ἐχάρτων ἡμέρῶν injicitur mentio, toties, nisi omnia me fallant, accipiendum hoc de ultimis diebus V. Ti., in quos incidentur dies*

dies Messiae, ad quos referendi anni pauculi ab Excidio Messiae usque ad Excidium Solymorum.

Postulo autem à Ben. Lectore, ut, cum Seb. Schmidio licuerit Es. II. 2. dies novissimos cum aliquā notabili latitudine ad aliquot secula extendendā, capere; mihi ut licet eosdem extendere usque ad Excidium Hierosolymitanum; cum quo Hebdomadæ Danielis expiravere, & Politia, Judaica unā cum Synagogā, quæ honeste sepeliri noluit, per vim publicam obruta, oppressa tumultaque fuit, Deo Zebaoth luculenta hāc Nemesis sua probante, sese improbare cultum hunc umbratilem ad tempus institutum.

Neque nego quedam loca de fine Politie & Judaice loqui, puto interim trahi posse ad finem V. Ti, quod in confinio utriusque Ti factum. Dein suppono, Paulum, Petrum, Johannem, Jacobum, Judam scripsisse ante ferale illud Solymorum excidium: Omnes enim ante Halofin illam in vivis esse desiere; Paulus A. C. 64. gladio truncatus, Petrus cruci suffixus, Jacobus Alphæi filius A. 56. lapidibus obrutus fuit. Illi sex, hic 14. annis ante Halofin: Solus Johannes, Apostolorum qui Christum circumstabant, Matth. 16, 28. Luc. 9, 27. minimus natu, non gustavit mortem donec vidiit redeuntem, ad judicium, idque particolare, in Regno suo exercendum. Venit enim primò ēc rā idia ut Præco, sed repulsus. Rediit ēv dūvāp post 40. Annos, circiter, ad Regnum suum, sed excindendum. Primo adventu Regnum Gratiae & Conversionem Gentilium, secundo autem adventu iram & Judicium imminens, postquam plenitudo gentium ingressa, adumbraturus. Atque ea est causa cur Joh. 21, 22. Servator dicat si velim cum manere, superstitem esse, donec venero, puta ad excindendam Solymorum urbem,

urbem, quid hoc ad Te Petre? Tu memet à Judæis ante Halofin crucifixum, sequitor & ipse à Gentilibus antea suffigendus!

(a) Fiat inductio secundum ταῦτα Schmidianum! Damnantur utique & Pontificii, I. Tim. IV. 1. - 3. ac ob id recte hoc dictum Theologis Pontificiis à Nostratibus objicitur: Par quippe de paribus est iudicium; Si Catholici (in angulo Europæ delitescentes) circa finem N. Ti. viventes, paria faciant cum Empætis sub finem V. Ti & novissimos Hebdomadum Danielis dies ortis, utique æquè fac illi hoc loco damnantur, licet de eorum ortu hoc loco Paulus non videatur vaticinari. Junge antecedentia cum consequentiis; cave adeò religiosè ad Capitum versuumque discrimen, quod sequioribus seculis natum, attendas, comprehendens sequens filum. De Episcopis, Diaconis, horum ve uxoribus tibi scribo in præfens, ad futurus prope diem, cap. III. 14. Interim, cum periculum sit in mora, accipe quomodo in Domo Dei vivi Te versari oporteat? v. 15. Fundamentalis articulus à Te inculcandus esto. εὐλόγος ille καὶ ἐδεῖσθαι τῆς ἀληθείας, καὶ ὁμολογημένως μέγα μυστήριον! sed quale? Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ. Hoc nota: ἔτι ἐν τοῖς ὑπέροις παροῖς ἀποσήσονται τινες τῆς πίστεως cap. IV. 1.-5. Καιροὶ Hebdomades, ὑπέροι παροὶ Ultimos dies, ultimam Septimanam Annalem excipientes, notant. Apostatae autem erunt, qui ad doctrinas demoniorum, hypocrisin, mendacia, scelera, cauterium conscientiae inurentia, proruientes, in rebus licitis v. c. matrimonio cibisque per preces sanctificandis, admodum scrupulosi; quæ vitia regnasse apud Gentiles, ut βεβήλως καὶ γράδεις μύθοις v. 7. apud Judeos, animadvertes. Addens v. 9. hunc λόγον de λόγῳ Incarnatione, si auditores respicias,

πάσῃς

πάσης ἀποδοχῆς ἀξιού, si doctores, dignum ut idcirco labores & probra sustineant, v. 10. admittendum ab auditoribus, quantumvis à juvene inculcetur v. 11. 12. inculcandum autem à Doctoribus usque ad novissimum diem v. 13. Ecquis ergò dicat, D. Paulum, nulla Prophe-tica sed purè Moralia docentem, Epistolamque, non Catholicam, sed ad Timotheum, novellum Episcopum, Paulo forte diu ad huc superstitem, exarantem, in antecedentibus & consequentibus capitibus occupatissimum in instruendo Timotheo, Heic saltum facere in medio cursu verborum, missoque Timotheo, missis auditoribus, missa didascalico loquendi genere, cœpisse, vaticinium de nostris temporibus, de nostris auditoribus, post XVII. secula demum prognatis? atque ubi hoc per 5. Versiculos factum, Paulum illicet, hoc inter-scenio absoluto, rediisse ad propositum, pertexendo filum, quod ceperat, subjungendo; *De his hominibus v. 6. si commonefeceris fratres eris bonus Minister.* Atat: quid opus erat monere Ephesios de cavenda societate malorum, qui post tot secula demum edendi erant? Nec adeò difficile erit demonstratu, vixisse Pauli ætate isthochominum genus apud Ephesios, Et si id non posse-mus, sufficeret Pauli vox *cavete!* Non cavebo autem eos qui nondum existunt in rerum natura, nec monuero ut caveant alii. Nota sunt dogmata Philosophorum, qui Patriarchæ haereticorum Patribus audiunt; *absti-nuere vino, Venere, κενωφαγίᾳ Pythagorei*, quo honestioris vitæ, hoc ægrius convertendi. *Demoniorum doctri-nis artibusque imbuti erant Simon Magus, Apollonius Thyanicus*, qui Ephesum venit vivente Timotheo, & *περιέργῳ Ephesi*. Plura si velis, scias velim non esse consignata literis cuncta, quæ gesta; Gentiles id non cura-

curarunt; Christianorum Annales non habemus; perinde erat Romanis scriptoribus Judæum vel Christianum diceres, nullo discrimine agebatur. Itaque taxantur illic Pontificiorum vitia, ut in toto amat fieri codice sacro. Largior autem ambabus manibus, novissimos dies V. Ti, typum esse novissimorum dierum N. Ti, sic ut nostra tempora ultimis Hierosolymitanorum, Sodomorum, & Antediluvianorum ad ungvem respondeant. Nego autem Spiritum Sanctum hoc loco de nostra aetate ex professo vaticinari. Denique fac tandem, τὸ ἐν ὑσέροις καρποῖς de nostra aetate accipi debere, ecce longe alia Phrasis est ἐν ἔχάταις ἡμέραις in den letzten Tagen/ quam̄ ἐν ὑσέροις καρποῖς in den letzten Zeiten.

(β) Simili prorsus ratione explicandum dictum, Paulinum II. Tim. III. 1.-6. Surfum ad antecedentia, deorsum ad sequentia aspiciamus. Res in tota hac Epistola Paulo cum Timotheo, novo Episcopo, ac ob id erudiendo. Summa hic redit: O Timothee, corroborare cap. 2. v. i. instrue Candidatos. 2. πανοπάθησον 3. noli implicari τῷ βίᾳ πραγματείᾳ 4. νομίμως pugna 5. spera fructus 6. si te affligant (mortificiren) mali, resurrectionem Christi, quocum vivo, cogita 7.-13. vita λογομαχίας. 14. Sectare ἐρθρουίαν 15. fuge βεβήλως κενοφωνίας 16. gangrænam Hymenæi & Phileti 17. quorum artibus aliqui, non vero omnes, seducti 18. 19. qui viventes in Ecclesia visibili, sed ut vase ἄριμα, expurganda à Te 20. 21. Cave νεωτερικὰς ἐπιθυμιὰς juvenilitatem ad μωρὰς καὶ ἀπαιδεύτις γηήσεις, ad μάχας & fervorem pronissimam 22.-25. quo tandem resipificant, qui seducti 26. Scito enim quantumlibet venerint dies novissimi, Messiae, quantumvis omnes sibi promittant aurea secula, nondum tamen cessere, nam in novissimis illis diebus V. Ti & Reipubl. Judaicæ erunt

erunt tempora periculosa, post mea fata imminentia cap. 3.
 1.-5. *Hoc hominum genus vita*, ut alios vitare docuisti. Et
 vita, non solum hos desperatè malos, sed illos quoque,
 qui μόρφωσιν τῆς ἐνστέβειας ἔχοσιν, qui per blanditias mu-
 liebres animos viriles expugnant, qui Janni & Jambri
similes, illis Miraculorum Mosaicorum simiolis, hypo-
 critarum more ex viribus naturæ, opera piorum, ex
 gratiæ viribus profecta, imitari gestiunt; quod imita-
 torum pecus hostibus potius veritatis quam amicis ac-
 censendum venit. Paucis dixero: Pergit hortari Ti-
 motheum usque ad finem Epistolæ. Dic ergo fodes,
 visne ut chasma aliquod & hiatum in media commi-
 niscar Epistola? Heicne præful optimus, qui in priori-
 bus & posterioribus semper cum Timotheo egit, sal-
 tum fecerit, per rot secula, acturus de nostra ætate, de-
 quā in Epistola tota ne γρῦ quidem exstat?

Atque sic *Paulus nuntians ὅτι ἐν ἐχάταις ἡμέραις ἐνσή-
 σονται καιρὸι χαλεποὶ*, variaque hominum monstra, loqui-
 tur *de ultimis Politie Judaicæ temporibus*, quæ Timotheus,
 Paulo non multis lustris superstes, vivendo attigit, nam
 in rem præsentem eum ducturus, medioq; digito ostens-
 surus hoc genus hominum, sub jungit, v. 5. τέττας ἀποτέπει: *quis enim dicat? cane & angue pejus fugito hos ho-
 mines; & si quæras quosnam? respondeas: qui in lum-
 bis sunt atavorum, post septendecim secula a matre a-
 liquando edendi.* Merito de sua ætate locutum dixe-
 ris Paulum, *ad Hymenium, Philetum*, aliasque Empæctas,
 quibus in turbido Reipublicæ Judaicæ statu pescari erat
 animus, alludentem.

(γ) Omnem scrupulum eximit Apostolus Gentium
 scribens ad Ebræos Cap. I. 2. ἐπ' ἐχάτων τῶν ἡμερῶν τέττων
 ἐλάλησεν ἡμῖν ἐν ὑπῷ. *Quid clarius dici potuissest?* Sane non
 est

est sermo de ultimis diebus immediatae revelationis, postea enim Servator Paulo & Johanni apparuit; neque de ultimis diebus quartæ Monarchiæ, viguit enim tum temporis & viget hodieque; neque de ultimis diebus Regni Judaici, quod lacertos utcunque movit per 40. Annos. Sed de *ultimis diebus V. Ti, in quibus Deus*, quod ab initio & in medio ejus factum, πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως λαλέν *desit*, & caput plenè plane & uniformiter loqui per filium. Adeò ut per illos ultimos V. Ti dies in specie Tres anni cum Semissé, in quibus ὁ λόγος ἐλάλησε, immediate propheticum munus obeundo, intelligat.

(δ) Et cum D. Petro satis benè nobis convenit, quando I. Petr. I. 5. σωτῆρας ἔτοιμη ἀποκαλυφθῆναι εἰς παῖδας ἐχάτω allegat. Non agitur de fine mundi, in quo salus illa consummata, & ad oculum, & ad sensum, revelabitur nobis, sed de ultimis V. Ti temporibus, in quibus τὸ σωτήριον Luc. II. Τίνησι, salus illa, quam Jacobus in lecto feriali expectabat, revelabitur, εἰς ἀποκαλύψεις Ιησοῦ χριστοῦ v. 7. quā beandi erant illi quoque Judæi, qui in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia (minori) Bithynia, degentes v. 1. non videre Christum, in quem nihilosecius credunt v. 8. Loquitur autem de salute Hypostaticâ h.e. Salvatore, ut causa omnis salutis nostræ v. 9. quod salutare, sollicite scrutatores Prophetarum quæsivere.

V. IO. II.

Manifestius id ipsum apparebit si jungamus v. 20, sic habentem: χριστὸς προεγγνωσμένος πρὸ παταβολῆς πόσμος, Φανερώθεντος δὲ ἐπ' ἐχάτων τῶν χρόνων Quid enim φανέρωσις aliud quām incarnationis? Θεός ἐφανερώθη εἰς σαξιν I. Tim. III. 16.? Scitē παταβολὴν πόσμος & ἐχάτως χρόνος, Annos Orbis conditi & Urbis excisiæ, Messiae Gen. III. 15. pro-

missi & missi, quorum illi initium, hi finis V. Ti fuere,
opponit.

(s) Gravis equidem instantia facta ex eodem Pe-
tro 2. Ep. III. 3. Velim autem scias, O optime ! phrases
esse diversissimas ; Aliud est si dicas ἐν ἔχαται τῷ ἡμερῶν
am Ende der Tage. Aliud ἐν ἔχαται ἡμέραι in den letzten
Tagen. Multi enim dies occurunt, qui pro materiâ
substratâ vocari possunt novissimi, finis autem dierum est
dies unicus & novissimus ! Sic dicamus τὸ ἐπί, teste Scapu-
la, quandoque idem significare atque post, sponte tum
fluent omnia. Circa vel post finem dierum V. Tivenient Em-
pactæ. Nam quib[us] stante urbe primum Messiae adventum
sarcasticè risere, illi in παρούσᾳ altera, cadente urbe,
(quam, pro veteri errore orbi coævam & non nisi cum
mundo peritoram credebant,) cum orbem manere im-
mobilem cernant, plures affectas invenere, uno ore
rogitantes πῦρ ἐπαγγελλά τῆς παρούσας ἀντῆς ? 2. Petr. III. 4.
Cujus Atheisticæ vocis, longissimè protracta Echo, per
totum N. Tum resonuit, & nostra ætate, proh dolor,
horribili cum boatu remugit, optimè refellenda ubi fra-
etus illabetur orbis. Damnat ergo Judæorum Aposto-
lus suos Gentiles qui circa vel post finem V. Ti, usq; ad
finem N. Ti continuâ nec interruptâ serie sequentur,
Atheos, qui creationem & diluvium, ex quibus confla-
grationem Mundi per ignem possibilem esse, & futuram
aliquando, colligere debebant, adunco nabo suspendunt;
De tempore autem inopinato Judicii & modo con-
flagrationis mox v. 7-10. loquens, docet, virus illud Satanæ
latisimè spargendum, nobis superstitibus, quos in hæc
tempora, in quibus cum malorum colluvie & feci senti-
na lutandum, reservavit Numen, vel sic justissimum.
Atque de his temporibus Petrum ex professo loqui
nullus

nullus dubiro, namque qui in prima Epistola *de ultimis diebus V. Ti* locutus fuerat, in secunda hac de *ultimis N.Ti* diebus differit. Illic de Typo, heic de Antitypo agens. Nam circa finem urbis & orbis, scelerata hominum nata & nascentur, quæ sacrilega audacia Deique contemptu inclarescere, & in excoxitandis novis facinoribus, quos (σφευρετὰς πακῶν) Paulus appellat, ingeniosi videri gestiunt; Athei puta & Epicuri de grege porci!

(?) Eadem Phrasis occurrit apud Ergodiocten Jacobum cap. V, 3. Verum hic quoque de suorum temporum hominibus loquitur, objectans de parcis Euclionibus Israëlitarum, ἐθνῶν πόλεων εἰς οἰχάτους ἡμέραις. Quippenim Epistola hæc non est *Catholica*, id est ἑγκύλος, ad omnes scripta, sed in specie τῷ διδοκαφύλῳ inscripta, ac ob id potissimum agit de ultimis Veteris fœderis & Republicæ Judaicæ temporibus, maxime cum de ejusmodi γαλαιπορίαις agat, non quæ Jacobi ætate jam præteriere, sed de ἐρχομέναις v. 1. Ilicet post fata ejus imminentibus. Alloquitur autem, more & stylo propheticō, *divites* sorridos, avaros & rapaces, (ut, quod futurum deinceps prævidebat, in præsens facerent,) *plorantes ob deditias putredine corruptas* & *aurum argentumque æruginē vitiatum*, falseque eos ridet, quod, senecionum instar, quanto minus viae restat, tanto plus viatici collegerint, hinc inde corrasis, animam agentे Republicā Judaicā, opibus, illâ eversâ, εἰς ἡμέρας σφαγῆς v. 5, post lanienam hominum, à milite Romano dubiò procul diripiendis. Nec incongruè dixeris. Si adventum Domini appropinquantem. v. 8. & judicem ante januam assilentem. v. 9. de instanti Panoletria Palaestinae Solymorumque accipias, & per τὸ τέλος κυνέος, exodus Jobeo similem, felicissimum puta, fugam illam piorum, cœlitus, si fides historiæ, per-

illud *migreremus hinc præceptam*, innui exiftimes. Salvo enim literalisensu, hæc omnia applicari poterunt ad particulare illud cuivis hominum, & ad Catholicum, cuique nostrum imminens Judicium. Pergit enim in sequentibus, monens ut caveant familiare Judæorum erratum, juramenta futilia; commendans, preces, christma, Confessionem N. Ti genuinam veramque, mille, parafangis Judaicas & umbratiles ceremonias superantem.

(n) Nec male, mea quidem opinione, feceris, si Jacobo, Boanergen alterum, Johannem jungas I. Epist. II. 18 sic exclamantem: παύδια ἐχάρη ὅτα ἐστι. Scilicet ultima Laniana Hierosolymitana hora. Missa namque hæc Epistola ad Ex-Judæos, non sub Romano sed Parthorum, valido tum temporis imperio, degentes; quæ de causa, teste Augustino, vocata fuit *Epistola ad Parthos*, monitosque voluit hæc Epistola Neophytorum suos. Johannes Senecio, *de horâ inter necini excidi gentilibus suis & Hierosolymitanis imminente*; cuius, à Christo prædicti, vaticinii complementum, anxi & hiantes expectabant, quotquot sanguine Judaico creti ad sacra Christiana transfierant, multis adhuc opinantibus, templum ἵερὸν καὶ συνλόν fore, nec ante mundi Panoletriam destruendum. Johannes ergo cum provectionis ætatis Apostolus esset, salutat suos συγγενεῖς nomine filiorum, cùm ob charitatem, tūm vel maximè ob ætatem, in regione viuentium & Religione Christiana, majorem; memorans instare excidium, non post aliquot annos multosque dies demum expectandum, qua mensurâ & Phraseologîa ante tricennium usi fuerant cum Christo Apostoli, neque tota die, neque pluribus horis differendum; Horulam intercedere unicam, eamque ultimam, & talem, non quæ ἐσται, olim

olim futura, sed quæ *is iam currat fluatque* celeri motu ad metam properans. *Probat* exinde per infallibile *uris nōgōv*; *Noſtis*, inquit, *ò optimi!* orbis & urbis hujus exſcindendæ paria tata, ſimilia indicia fore. *Audiftis* *ātrīxēsōv*, *ézōχως* hōc titulō gaudentem, illum adverſarium Christi, in mediā Eccleſiā ſedentem, anteambulonem fore Panoletrias, in N. To & Pancosmo expeſtandæ; *Noſtis* inter prodromos Hierosolymitani excidii non poſtremo loco numerandos Anti-Christos nominales. *Jam verò* *ātrīxēsōv*, qui loco *Messiā* fefe ingerunt, jaſtanterque liberationem à Jugo Romano pollicentur, *uique πολλοὶ* numeroſiſſimi, *venere*; *vel hinc colligite horam*, *quam vivimus eſſe ultimam*. Perinde enim ac probabile criterium est inclinare ad interitum Rempublicam, ſi Eccleſia hærefiſibus & Schiſmatis turbetur; ut *certum* apud Politicos *ſignum*, vergere ad occaſum Politiam, ſi multi, imbelles, rebellare incipient, ſequere pro regibus venditent, jugumque potentioris excutere geſtiant; Sic *infallibile* Eccleſiæ & Policiæ Judaicæ corruentis indiſcum eſt, ſi *utrumque* fiat, teste Christo Matth. XXIV. 23, 24. Vah! non hoc honi omniſis ſignum, ſi tot cernamus regulos, ſed peſſimi; Non hoc florem imperii portendit, prout ſeditioſi crepant, ſed interitum chori, fori, thori Judaici, propediem expeſtandum! Et hūc ſumma admonitionis Johanneæ tendit, *ne diligant mundana* v. 15. ne fe transverſos abripi finant vanis pollicitationibus Pseudo-Chriſtorum, aureos montes, victorias, Regna, libertatem, & quicquid humana mens magnifici concipere potest, temerè & nequicquam offerentium. *Eſſe* v. 16. qui hæc talia jaſtant *Apoſtolas* & *impoſtores*, qui ſpe regni mundani ſimpliciores inefſcatos à Regno cœleſti geſtiant abducere. v. 17. *Preflare*, ſi omnino

omnino spiritu imperatorio imprægnati sublimia affectemus, ut *unctionis mystice* memores *sancta* vitâ & *pan-sophia* in divinis inclarescamus, dominatum in pravos affectus affectantes & atram ignoratiae loliginem profligantes.

(θ) Judas autem neutquam in diversa abit, sed facit nobiscum Ep. v. 18. ἐν ἐχάρω χρόνῳ ἔσονται ἐμπάνται; proximè enim præcedit ἐλεγον ὑμῖν, νοbis, οἱ electi, quos alloquor, hoc velim dictum! Summa est: commendando agonem pro fide, v. 3. Cavete Apostasiām feralem, v. 4. exemplō funto Israēlitā post Exodum corporalem v. 5. Angeli, εἰς καίσαριν μυγάλης ἡμέρας servati. v. 6. Sodomitæ v. 7. quibus similes Gnostici ἐν πνευματίσμοις, carnem stupratoribus polluentes v. 8. qui aureo illo Hodie, tempore indebitæ, extraordinariæ & superabundantis gratiæ, pessimè abusi. Cavete hos blasphemos. v. 9, 10. crudeles, Planos, rebelles v. 11. Nec credite hos demum post aliquot secula expectandos; παρεστένουσαν, sub- & obreptitię jam ingressi sunt, v. 4. Imò intersunt piis vestris Agapis, verum ut σπιλάδες & carcinomata; convivantur inter se sine timore Dei, nil pauperibus concedentes, simillimi nubibus ἀνύδροις & arboribus sterilibus, emortuisque, spem quidem aliquam pluviaë & fructuum, fitientibus arvis aut famelico viatori facientibus, quos tamen, cum omnes oblationes ipsimet, vel cum locupletibus abliguriant, hiantes relinquunt. v. 12. Hos Spurciloquos, vagos, tenebriones v. 13. immemores esse Judicii ab Enoch intimati, ad ipsos quoque spectantis. v. 14, 15. Et si quæras quinam illi ἀστεῖ; Audin! γτοι εἰσιν, Hi ipsi sunt qui murmurant. 16. Vos autem, οἱ amicisimi, nolite id mirari, prædixitales adfore ἐν ἐχάρων χρόνοις. v. 17, 18. Empæctæ sunt!

Vultis

Vultis explicatius nomen? Sectarii, Psychici illi amantes, v. 19. quibus fides est impia. Vos vero credite, sancti estote, orate. v. 20. diligite, sperate. 21. Et videte ut incusso metu eos ex incendio eripiatis. v. 22, 23. videbat enim Apostolus multos defecisse & defecturos, ante, in, & post excidium, v. c. ad Theudam, Judam Galilaeum, Act. V. 36, 37, ad Zelotas & alios, quos caverdos svaldet Servator, Matth. XXIV. 5, 11, 23, 24, 26, ad Barcochebam, Mosen Cretensem: Atque ea de causa D. Paulus Ebr. III. 12, 13, 14. monet ut ἀποστόλον & ἀποστόλον caveant, ne cor inducent, vel illo à Deo vivo deficiant.

(1) Huc refero ex abundanti Phrasēs aliquot cognatas. Verbi causa, Galat. IV, 4. Pater Filium ὁμοστὸν dicitur misisse, ὅτε ἡλθε τὸ πλήρωμα τῆς χρόνου. Quale autem? Non novimestre illud Matri utero gerenti ex communione legi definitum, sed peculiare illud Nativitati Messianæ, Dan. IX, 25, 26. definitum, quod cum Christus, ex lexi aliis, legi moralē necessitanti, & infirmis elementis ceremonialibus, esset subjiciendus, venerat quidem, nondum autem penitus cesserat, ante dominum Templi Tempisque excisum.

(x) Eodem pertinet, quod Ebr. IX, 26. Christus apparuisse dicitur in carne νῦν ἐπὶ τῇ συντελείᾳ τῶν ἀιώνων. Ubi opponit ad invicem καταβολὴν οὐδέποτε, initium V. Ti, & τὴν συντελείαν τῶν ἀιώνων, Finem V. Ti, dicitque apparuisse Christum, non quo jam finita, sed ἐπὶ quo propediem, finienda erant secula Judaica. **עלמים**, **secula** namque heic intelligo *Judaica*, quamdiu sacrificia & circumcisio, non in aeternum, sed in secula duratura, vigere debebant, quorum *initium* Moses in Genesi, *finem* Daniel in Hebdomadibus suis monstravit, cessante iugi matutino & circumcisione **לעילם** duraturis. Utique ergo hoc loco non agitur de conflagratione Mundi, sed de tempore

pore, quo apparuit in carne Servator & sacrificium interabile obtulit, quæ immolatio neutiquam per dies N. Ti iteranda, quod vellent Romulidæ!

Nota autem, aliud esse, si dicat Spiritus S. in singulari & cum articulo demonstrativo, de praesenti & futuro tempore loquens, τὴν συντέλειαν τῇ αἰώνῳ, namque tum notat seculi consummationem, diemque N. Ti novisimam; de qua intellexere Apostoli, Matth. XXIV. 34. τί τὸ σημεῖον τῆς παρεστάσας, ad Judicium contra Iudeos, καὶ συντέλειας τῇ αἰώνῳ. Joh. XII. 34. ὅτι ὁ χριστὸς μένει εἰς τὸν αἰώνα h.e. per 2000. Ann. quos Iudei seculum Mesia vocant. Sic Christus ipse Matth. XIII. 39, 42, 49. allegat συντέλειαν τῇ αἰώνῳ τάττε, scilicet quod cœpit currere, & Matth. XXVIII. 20. Ego sum vobiscum omnibus diebus ἔως τῆς συντέλειας τῇ αἰώνῳ. Aliud esse, si in plurali, sine articulo, de preterito, legatur, tum enim ut plurimum finem dierum V. Ti intelligit. Et omnino distingueda τὰ τέλη & κόστος, quæ instare sua ætate Paulus negat, 2. Thess. II. 2. & τὰ τέλη τῶν αἰώνων 1. Cor. X. 11. quæ venisse asserit, dicens, scripsi hæc ad vos εἰς ὃς τὰ τέλη τῶν αἰώνων κατέντησαν, scilicet finis Hebdomadum & excidium Solymorum.

Ideò Ephes. I, 10. Evangelium *revelatum* dicitur ἵνα ὀινοούλαν & πληρόματος τῶν οὐρῶν, scil. à Daniele determinatorum, factamque *anacephaloxis* omnium vaticiniorum umbrarumque in Christo, ad vivum exprimente quicquid prædictum antiquitus. Et Eph. III, 9. Evangelium suum *vocat absconditum*, (ut Apocryphi libri, non in totum, sed in tantum, ob certas circumstantias) ἀπὸ τῶν αἰώνων, à temporibus secularibus, Judaicis, in quibus non adeò clare, plenè, perfectè & secundum particulares circumstantias loci, temporis, Personarum

rum ἡ πολυπόνιλθος οὐφία θεᾶς constituit, atque in Novo Testamento. Nec obstat, quod spes vitæ æternæ annuntiata sit per λόγον ἀστρον, πρὸ χρόνων αἰώνων V. Ti Tit. I. 2. patefacta vero plenius a λόγῳ ἐνσέρκῳ εἰς καιρὸν ἴδιον id est εὐπροσδέκετος, N. Ti, in quibus Paulo fuit concreditum. Alludere enim videtur ad Protevangelium, quod datum in Paradiso illico cum peccarunt Protoplasti, cum per foedus operū nemo amplius salvari potuit; puta priusquam sacrificandi rationem Deus doceret Protoplastos, velleribus ovinularum immolatrum vestiendos, & Pactum Abrahamicum de circumcisione, & Leviticum de sacrificiorum numero, ob αἴσιμον oblivious saepius inculcandum augendumq; Numen erigeret. Nec male dixeris, si vertas: Evangelium de Christo χρόνοις αἰώνοις σεστηγμένον Rom. XVI. 25, hoc est totis Veteris Testamenti diebus, in quibus quidem revelatio facta, sed sigillo ex parte tecta. Fas quidem fuit etiam sub V. To inspicere literas illas non adeò anxiè, sed ita obsignatas, ut pars multo maxima sigillo nondum detraicto legi potuerit, connexionem autem & singula puncta apicesque haurid assediti fuerint Patres, multa non nisi hariolando consecuti. Namque si χρόνος h. l. jungatur αἰώνι, particula est diminuens, non æternitatem, sed secula plurima designans.

SECTIO VII.

Quæ cum ita sint, cum probaverimus quod supponendum, nuspiam in V. vel in N. To per dies novissimos nostrarum temporarum finemq; seclorum intelligi; Semper autem notari ultima V. Ti, latius aut strictius accepti: Progrediamur ulterius! Facile quilibet colligit, in famosiori hoc significatu quoque accipiendo quæ Act. II. 17. ex Joële, vel potius ex versione rāv ὁ petita est, phrasin; quæ, cum Petrus hoc di-

etum in Pentecoste jam completum dicat, haud poterit trahi ad illud, quod post Pentecosten elapsum fuit, intervalum. Atque sic ῥὸν ἐχάτας ἡμέρας notabit *Dies V.* *Ti ultimos, dies Messiae, in quibus ipse met ad mortales locutus fuit.*
 Ecquid autem de die magnâ & venerabili videtur? Resp. Phrasis hæc in N. T. o. non nisi semel legitur, illustranda ergo ex Versione LXX-virali. Apud Malach. IV. 6, 7. *Elias dicitur ad futurus πρὸν ἡ ἐλθεῖν ἡμέραν κυρίου μεγάλην καὶ ἐπιφανῆν, priusquam redeat Messias terram anathemate percussurus.* Sequitur ergo dies hæc illustris adventum Eliæ, & præcedit diem Messiae in carnem & ad judicium, contra Judæos, venientis; Sensus quippe est. *Veniet Elias, Johannes, conversionis præaco, nuntians securim arbori Politiae & Reipublicæ Judaicae appositam.* *Veniet post quadriennium dies N. Ti prima, Pentecostalis, Magna illa pis, horribilis impiis, ob execrationem & sententiam damnatoriam in eos latam, venerabilis omnibus.* *Veniet denuò Messias, terram Judaicam anathemate Ecclesiastico-Politico percussurus.* Hoc series & sensus postulat. *Quis enim dicat, post diem extremi judicii terram, tantum anathemate percutiendam, cetera secundum substantialia mansura?* *Quis tum conversionem expectabit? Quis Eliam ante, hanc diem ex Paradiso terrestri redditurum præstolabitur?* De illo tempore loquitur Propheta quo μετότοκον τὴν Φραγμὴν auferendum, quo Græci & Judæi sub eodem Pastore grex unicus fient, & corda Patrum, Judeorum, ad filios novellos, Gentiles, convertentur; ut illi capital & Vatinianum odium, hi nauseam erga misellam gentem, mittant, ambo, missò hoc opere carnis, in unitatem fidei conspiraturi. Sic quoque Joël cap. II. v. II. ἡμέραν μεγάλην καὶ ἐπιφανῆ allegat, post ad pœnitentiam agen-

agendam hortatur v. 12. utique non intelligens diem
judicio extremo destinatam, qua non licet respicere.
Itaque quae ultimo loco allegatur ἡμέρα μεγάλη καὶ ἐπι-
φανῆς, prima erit in N. To. dies Pentecostalis puta, & quae
inter ultimos V. Ti & primum N. Ti diem memoran-
tur miracula, incident inter dierum novissimorum ini-
tium & finem, inter diem nativitatis Christi, missi spi-
ritus Sancti, excitaqve Urbis. Sensum itaque explica-
bimus, simul applicato uno altero. Exemplo, non quasi
plura non suppetant, sed quia quae memorantur pau-
cula sufficiunt.

SECTIO VIII.

Sequitur nunc (b) *Expositio!* Et sicut in novissimis die-
bus, V. Ti, ad finem properantis, dicit Deus, Messias
ἀστρον, quid ἔσται olim factus patrare velit atque
occipere? Effundam, simul atque Immanuel, Homo-
Deus factus, inque virginali utero ἐν ἑνὶ πέργυνctus fue-
ro, effundam, non stillatim, quemadmodum ex ampullā
Rhemenſi fieri solet, nec parce, ut in V. To (quod, cum
grano ſalis, tempus ſiccitatis, ut N. Tum tempus uber-
tatis, merito dixeris) contigit, sed plenis cyathis, abun-
dantissime sacram Chrifma effundam, pleno alveo pu-
rum hunc & crystallinum Fluvium, ex Throno Dei &
agni procedentem, Apoc. XXII. 1. in corda mortalium
fæxa, ἄνδρα, ſiticulosam. Effundam autem, non πᾶν
πλήρωμα θεότητος, cuius honoris ὁ δῆμος, Perfona extra
Trinitatem, non est capax, sed aliquid, quantum quidem
infinitorum donorum in finitos homines cadere potest,
& pro imperscrutabili Dei œconomia oportet, de Cha-
risma, extraordinariis, in primis inter illa eminentis do-
num Propheticæ, & hic Spiritus, quem ratione divinæ na-
turæ spiravi ab æterno, qui ratione humanæ, hoc Chri-

simate loco Sociorum inunctæ Ps. 45,8. *meus jure vocatur gemino, dandus his, qui mystici corporis vel membra vel Architecti audiunt.*

Eumque effundam, novâ quâpiam & insolitâ ratione, non, ut in initio medioque V. T. factum, super illos solos, qui caro carnis Abrahamicæ, qui tribu Juda, vel Levi orti, jus Regni & sacerdotii in solidum sibi arrogant, sed cadet Schechinâ, quicquid etiam ogganiant vestri Rabbini, qui extra terram Israëlis negant habitare Sp. Sum, *in omnem carnem*, cujuscunque gentis, generis, ætatis, sexus, conditionis, temperamenti sit, *Judeus Grecus ve* fuat, nullo discrimine agetur; nonnulli ad Prophetiam, nemo non ad Regale sacerdotium inaugurabitur. Ecce, ut manifestior evadat Exe-
gesis, adjectam Epexegefin.

Effundam (1) super *Judeos* ob generis & carnis prærogativam (utpote circumcisî ipsi & circumcisîs patribus natî) superbientes, fœse Dei *filios filiasque*, adoptio-
nis causa, vocantes, fœque liberâ Sarâ, non vero servâ Hagare, ortos, *se liberos* cives liberæ Reipublicæ, illo ipso quoque tempore, quo Herodi & Pilato, Romanorum mancipiis subiecti, *se nemini unquam serviisse*, per circulos & compita clamantes. Super hos Abrahamicas, juxta illud Jeremiæ cap. 31,13, Schechina, à quatuor seculis cessans, denuò effundetur. Brevis est via, eamus per exempla, paucula allegaturi, subintellecturni plura. *Fili vestri* v. c. Zacharias, Simeon, Nicodemus, ne Caiphâ quidem vel latrone excepto, quos *vestros* con-
fanguineos & γνωτῶς Orthodoxos putatis, prophetabunt,
pariterque *Filia vestre*, Elisabetha, Hanna, Maria, vel in
ipso templo, quod infolens & inauditum, vaticinabun-
tur. *Juvenes vestri*, v.c. Pastores Bethlehemiticci, Jo-
hannes

hannes in Jordane, Triumviri in Thaboreo colliculo
 (ut vulgo credunt) *visiones videbunt*. *Seniores vestri*,
 Simeon Senecio (Luc. II. 27. *μεχρηστισμένον ἦν ἀντόν*,)
 Josephus bisterve, de Mariā non prostituendā, fugā, &
 reditu, in & ex Aegypto, *somnia somniabant* divina. Sen-
 sim autem juxtā cum ætate Christi crescent & crebre-
 scēt magis Charismata Spiritus S., quin latius quoque
 & ad exterō spargentur, pomœria Regni sui ad Gentiles
 ipso Christo proferente. *Gentiles enim*, & qui pe-
 jores his, *Samaritani Syncretistæ*, quos, utut Domini ve-
 stri, quemadmodum Romani, vel *σύνδεσλοι*, ut Samaritani,
 vos per probrum *servos servasque vocitatis, participes*
sicut sacri flaminis. Testes appello Magos insigni cum
 comitatu, ductu Spiritus Si, ex propylæo inferni, alterā
 illā post Aegyptum idolomanias fabricā, Chaldæā, ad-
 ventantes! quorum Xenia ecquid aliud sunt quam ter-
 geminum de triplici officio Messiano vaticinium, enu-
 cleatus expositum in reditu apud populares suos? Te-
 stes fisto Centuriones Math. VIII. Luc. VII. Math.
 XXVII. Ne quid de suffragiis τῶν ἑξω addam; De Sibylla-
 rum oraculis, non in universum pià fraude confictis,
 quia gentilibus opposita fuere: Romæ enim creditum
 oriturum ex Palæstinâ Regem; quod temerè de Vespasi-
 ano, postea illic à milite electo, interpretati. *Ad ancillas*
 commodè retuleris Chananaeām, Samaritanam mul-
 tiviram, cum uxore Pilati. Et super hos omnes *primitiæ*
 Spiritus S. ante Pentecosten effusæ fuere, specimen ut essent
 & preludium largissime illius messis, extraordinarie post
 μεγάλην ή ἐπιφανή ήμέραν inchoatæ, ordinariâ lege post
 Pentecosten continuanda, in quā πᾶς ὁ δὲ ἐπικαλέσηται
 ὄνομα Κυρία in horrea Dei colligetur, duraturæ usque
 ad finem Mundi, quo scilicet plenitudo gentium ingre-
 diatur,

datur, nosque in quos Mundifinis pervenit, tenuie illud *spicilegium*, quod ex conversione Afrorum, Indorum, Americanorumque expectari poterit, penitus conficiamus.

Contigit hoc, quod dixi, & impletum est, aliqua ex parte, post Natalem Christi, per ignobile illud tricennium vitæ privatæ. Sed quid tum? quid deinceps fiet? Finis incarnationis est missio Spiritus S. Venit ὁ λόγος in carnem ē ccelo, ut cum carne redux ad ccelum demitteret Spiritum S. Ex Luca id discimus cap. XII. 49. πῦρ ἥλθεν βαλεῖν εἰς τὴν γῆν. Sacram flammulam poli, in solum gelidum, πέρι τὸ ἀναζωπύρεν 2. Tim. I, 16. per Charismata corda mortalium frigida. Quod si naturale desiderium Christi respicias, secundum quod calicem deprecatur, vellet utique (hæc velleitas est,) ut saltu quodam facto illicet post Natalem suum festum Pentecostale adesset; Verum (hæc plena est voluntas Christi, divinæ semper conformis) oportet ut præcedat Pascha Pentecosten, frustra expectatur baptisimus flaminis, si non præcedat baptisimus fluminis in Jordane, & sanguinis in Golgatha, βάπτισμα δὲ ἔχω βαπτισθῆναι & quam συνέχομαι, ad instar prægnantium, quæ partitidinem horrent, verū ita ut velint optentque quamprimum liberari, donec consumetur. Simili ratione Joél videtur loqui: Natus & unctus est Servator, ut ungat fratres quotquot nati & nascentur; Pervoluit qui in Mundum venit Servator illicet, mittere Spiritum S. & Pentecostalem, sed parcius id fieri oportebat, prius baptizandus & crucifigendus erat. Messias in Paschate, de quo σωματίῳ ne nihil videatur dixisse v. 19, 20. locutum Joélem autumo.

Puto autem omnino (1) verba bac esse *Messianas*. Idem namque Immanuel, qui de Spiritu suo mortalibus aliiquid

aliquid dare voluit, edere vult *répara* & *σημεῖα*, in Ecclesia docendo, in corpore patiendo, in celo luminare utrumq; obfuscando. (2) Miracula heic allata non adeò ira, quam gratia divine signa esse, nihilque mali portendere hominibus (quamvis si ad *θεάνθρωπον* patientem, & compatientem naturam respicias, testes sint locupletissimi Numinis irati) Namque qui illa dedit Servator est, à quo nihil mali, quod metuamus, habere possumus, in primis cum oratio incipiat à promissione de Spiritu S. effundendo, in eandemque desinat, puta de vocatione gentilium. Absit igitur in medio verborum Evangelicorum cursu signa iræ, diem Sinaiticum atque horribilem, animo concipiamus. (3) Puto Joëlem ad primam Pentecosten. *Israëlitarum*, fœdus Sinaiticum legemque lapideis tabulis Dei dito inscriptam *respicere*, eumque primam Pentecosten Novi Ti, in quâ per Spiritum S. Dextra Dei digitum, carneis cordis tabulis nova lex inscribi debuit, cum V. Ti primâ Pentecoste conserre; Bona N. Fœderis, verbis Typicis, ex Veteri desumptis, pro solemni Prophetarum instituto, describere. Quemadmodum enim, prius quam in aspero Sinaitico jugo Iex vetus rogaretur, multa præcessere miracula (fileo Ægyptiaca, sanguinem Nili primogenitorumque, *ἀρπᾶδα καπνὸν*, palpabiles nebras), v. c. (1) *répara* in *ἴπαν*, Deo omnipræsente in vertice monticuli se fistente, sedibus suis excitis Angelis, ad legem *ἐν Χειρὶ Ηὐαγγελίῳ Διατάγμασι* ῥηγνων, (2) *σημεῖα* èpi *τῆς γῆς*, fuscâ nube montem cooperiente, clangente tuba Archangeli, tremente succussanteque terrâ. Quemadmodum Deus dedit (3) aqua, occisis, quæ septum transfiliebant animantibus, sparsaque fanguine fœderis & (4) πῦρ, in rutilâ flammivomâque nube, ve-
lut curru triumphali folioque suo majestatico, compa-
G rente

rente Deo, igne illo consumiente, & (5) ἀπύστα καπνῷ, adscendente ex craterे montis columnā fumi , fumanti cibano simillimā, quā (6) sol obnubilatus fuit, (7) Luna-que, ut in Eclipsibus amat fieri, umbragine quādam te-cta, subrubra apparuit.

Simili prorsus ratione, dicere voluit Joël, circa Exodus mysticam, ab altero, Moseque majori Prophetā, non per occisos Primogenitos Ægyptiorum, sed illius cæde, qui Primogenitus creaturarum , & primogenitus ex mortuis audit , procurandam , se habebunt omnia. *Antequam Pentecoste, magna illa & illustris dies, ingruat, novaque lex ab ἐνσάρκῳ atque, ubi ad dextram Majestatis divinæ consedit, de Pharaōne infernali triumphante Servatore promulgetur, gentilibus à servitute peccatorum, Iudæis ab infirmis mundi hujus (Ju- daici) elementis liberentur, sient répara ἡ σημεῖα!*

Eequalia autem ? jure meritoque id quererit! Non enim invenies unquam à Christo patrata fuisse miracula theoretica, nedum noxia ; nonnisi salutaria & usibus humanis accommoda fuere quæcunque fecit ; & cum Matth. XII. 38,39, Pharisæi inverecundè atque irreverenter, post tot δυνάμεις, cernere vellent σημεῖον, & quidem, Lucā teste, ἐξ ἑραν, hoc est Theoreticum, sublimē, pascendis oculis aptum, pernegat illud Servator, ne immoderatis ipsorū cupiditatibus ad naufragium videatur inservuisse, quin, contraria via incedens, ex intimis terræ visceribus erutum Jonæ miraculum ob oculos collocat. *Eequanam ergo illa σημεῖα, non dicam ἐξ ἑραν, quorum nulla fecit, sed ἐν ἑραν, dedit Christus?* En Angelicos concentus ad præsepe recens nati Servatoris ; Ecce θεο-*Pavla* (in quā cœlum, non emphaticè , sed reve-rà, ut in adscensione, scisum, non pauci contendunt,,)

In

in Jordane, factam æquè à λόγῳ ac Patre; nec ineptè
 hoc retuleris animas *Mosis & Elie*, quorum *haec* unà
 cum corpore cœlo evocata fuit, illa & evocata & unita
 creditur corpori Mosaico: ne quid dicam de incarnatione
 λόγου super omnes cœlos elevati. Sic enim in
cœlo Majestatico, beatorum, & aëreo habebis miraculum
 maximum. Adde Haggeum II, 7; 8. *Cœlum terraque*
movebo, atque tum veniet כָּל־הָמָרָה, וְפָאַסְמָחָה,
 desiderabilis ille Messias. Facta namque in cœlo com-
 motio inter Angelos, ad Zachariam, Mariam, Josephum
 missos, & gestientes παρακλύψου. Pet. I, 12. in mysterium
 Incarnationis. Junge stellam Magorum progradam
 & retrogradam, aliaque Phænomena ab Orosio, gravi
 scriptore ex Svetonio, Tacito, Dione allata. Solinus
 motum cœli terraque factum notat, cum declinatione
 Solis, & Tertullianus ad Archivum Romanorum pro-
 vocat. Quæ σπηλαια ἐπὶ τῆς γῆς facta sint, tam facile est
 ostendere, quam vulpes pirum comeat: Quis ὕγραφα
 percenseat, aut ἄγραφα recenseat? Parco hisce plagulis,
 cum volumina ne mundus quidem capere potuerit.
 Sileo miracula in cursu Ministerii peracta; Ipsa na-
 tivitas his claruit. Virgo concipiens, partus sterilis Eli-
 sabethæ, muti Zacharia loquela, Embryo Sp. S. ple-
 nus, bella subito sub Augusto cessantia, pax insperata
 post publica Græcorum & intestina Romanorum dissi-
 dia, oracula, teste Cicerone, obmutescentia, idola, ut
 vult Dio, in Capitolio percussa, liquefacta, disjecta,
 quid aliud sunt quam magnum quoddam prodigium?
 Taceo Petras in Passione scissas, mare ad imperium
 Christi obmutescens, ipsius plantas sustinens, omnes
 pisces in retia cogens? &c. Accipe sis interim ma-
 gnum in Macrocosmo compatiente, & maximum in Christo

patientem miraculum! Ecce tibi sanguinem Dei, fœderisque
 cum Deo initi fundementum, in Gethsemane, viâ, Cal-
 variae M, aquæ instar profusum, meliorem utique san-
 guine brutorum, ad Sinaiticas radices jugulatorum, il-
 loque Damasceno Abelis, vindictam divinitus poscen-
 te; quem sanguinem dedit fuditque ὁ λόγος. Queris
 ignem? leva fidei oculos, & advertes majorem Sinai-
 tico incendio, iram scilicet Jehovæ medullas exeden-
 tem, flagrantem ad orcum usque, unâ cum promulsiâ
 flammæ orcinæ, ab ipso Servatore in derelictione suâ,
 nostro loco & bono prælibatam! Cupis intueri vaporem
 fumi? Neutiquam opus erit, ut te ad tentationes spiri-
 tuales ablegem, quas Scriberius, einen aus der Hölle auff-
 lodernden Schwefel-Dampff appellat, vel palpare eum,
 poteris! Tenebras volo, Ægyptiacis, si non spissiores, fal-
 tem pares & latius dispersas, toto trihorio durantes.
 Quas novum subinde, & à priori planè distinctum, exce-
 pit miraculum, non solum atrâ loligine Soli offusâ, sed
 ipso Sole, non interveniente Lunâ, totaliter, atque sic ob-
 nubilato, ut ipsummet solare corpus, retractis, qui ju-
 giter emanant, radiis, nativum suum splendorem ami-
 ferit; ἐσοριῶν γαρ ὁ λόγος. Luc. XXIII, 44. Cum vero
 hæ tenebrae Pasionales à 12. nostrâ, usque ad pomeri-
 dianam 3. duraverint, Lunaque in hoc plenilunio pa-
 schali soli ex adverso fuerit opposita; sponte sequitur &
 hanc luce solari, quâ solâ coruscat, caruisse, & Eclipsin
 potuisse pati, quamvis nec sol lucem, nec terra umbram
 sparserit, ipsaque soli non fuerit diametaliter opposita.
 Sed dices: rubuit Luna: Ast salva res est! haufit sidus
 hoc speculare luculam aliquam ex fixis stellis, tenuem
 quidem & debilem, interim tantam, quantam refundere
 potest terra in adversam partem Lunæ, quando solem
 tegit,

tegit. Sed pergis: non allegatur ab Evangelistis Eclipsis Lunæ in Paschate σαργασίαι facta! Audin autem legitur illud in sacris νερο διάβολος extans. Sole enim non lucente, lunam illumem & obtenebratam esse, vel cœcus videt. Neque hoc in animo fuit Evangelistis scribere, quid in inferiori Hemisphærio gestum fuerit apud Antipodes Hierosolymitanorum? quippe quos nunquam, ad minimum tūm temporis non habuerere, omni adversâ parte oceano tecta, & nullo tūm temporis id æquor arante; sed quid in magna Continente nostra contigerit?

Hæc omnia singulaque fieri debebant πρὸν ἡ ἀλθεῖν τὴν μέρεαν κυρία τὴν μεγάλην h. e. ut paucis omnia dicam, priusquam Pentecostalis Dies, ultima Veteris, & prima Novi Ti. veniat. Quam magnam appellitat ob maximam Dei potentiam, se exerentem per vasa illa fragilissima, dodecadem Apostolorum, quos, para statu Spiritu S. armatos, & plagulis aliquot Sacri Evangelii instructos, emisit Deus ad subjugandum universum orbem, armis, legibus, ratione, consuetudine armatum! Quam terribilem fore impiis, servili horro flagra timentibus, & piis filiali reverentia metuentibus ne τῷ πλέτω τῆς χάριτος divinae abutantur. Malim autem secundum Authenticaem Spiritus S. explicationem, qua LXX. Interpretum versionem probavit, Pentecostalem diem vocare επιφανή magnificam, gloriosam, mirabilem: Percellit autem lippientes mortalium oculos, quicquid illustre, & umbram refert divinae Majestatis.

Ubi verò Pentecostalis dies illuxerit, rupto velo templi, sublato μετονόμω, admittentur in adyta Sionea, intimaque ejus penetralia, omnes omnino homines, Iudeus aut Græcus, aut quisquis demum fuerit; & servabitur

bitur in Ecclesiā , ad quam florentem boni malique ex æquo confluunt , quisquis verā & vivā fide invocaverit nomen , & meritum Christi , quem κύριον ἡ χριστὸν ὁ Θεὸς ἐκόπισε v. 36.

Tum largissime super omnem carnem , licet ringantur Judæi , & obstupefcant Neophyti Act. X, 45. Act. XI, 18 , effundetur s. Flamen , atque omnia sexus , ætatis , conditionis , dignitatis , discrimina penitus tollentur . Prophetabunt filii vestre , v. c. Sociæ theotóns in primâ Apostolorū Synodo , Sp. S. donis in Pentecoste ex parte donatæ , Act. I, 41. vel quas velandas præcipit Paulus , si precari vel prophetare velint , 1. Cor. XI, 5. Filiī vestri , quales v. c. quos Christus adscendens Prophetas constituit , 1. Cor. XII, 28. & XIV, 3. Eph. IV, 11. Item Agabus Act. XI, 28. & Antiocheni ; Barnabas , Simeon Niger , Lucius Cyrenensis , Manahem collactaneus Herodis , Saulus , Act. XIII, 1. Judas & Silas Act. XV, 32. Paulus ipse , de periculo , servanda navi , retinendis nautis . Act. XXVIII, 10, 22, 31. de Anti-Christo , 2. Theſſ. II, 3. Apostatis . 1. Tim. IV, 1. temporibus molestis , 1. Tim. III, 1. de Judæorum conversione possibili , Rom. XI, 25, 26. paticinabantur . Adde Judam pauca , & Johannem in Apocalypsi plurima prædicentem . Juvenes visiones videbunt : Ananias in visione Christum , & Saul cœcus Ananiam , ad se intrantem manusque imponentem . Act. IX, 10, 11, 12. Idemque suas ὀπτασίας ante quatuordecim annos factas refert . 2. Cor. XII, 1. Seniores Vestri , Paulus noctu Macedonem se evocantem , Act. XVI, 9. & Angelum Act. XXVIII, 23. somnia somniabunt , non de rebus leviculis , qualia somnia atrabilioria Mundi senevolentis , vix cassā nuce emenda , sed de gravissimis , de Christo , Ecclesiā , periculis capitalibus . Gentiles idolorum

❀ (55) ❀

rum mancipia Deo servientes regnabunt, **verè** liberi,
quia immunes à peccatis regnantibus, & participes Spi-
ritus adoptionis, omnes erunt *θεοί δακτοί* Joh. VI, 45.
πλεσίως effundetur in hos chrisma sacrum, Tit. III, 6.
Tum infans, Sylvofus & cedris obsitus *Libanus*, circa
quem Adonidi & Veneri sacra fecere gentiles, superbo
jugo & feritate depositâ, *convertetur in Carmel* amoenis-
simum colliculum, mitescentibus gentilibus, *Et Car-
mel*, frondentibus vitibus herbisque obsitus, sylvescen-
tibus Iudaëis, in sylvā reputabitur, Ef. 29, 17. Redibit post
deserta gentilium pererrata ad Judæos, duræ cervicis
populum, Satanás, invenietq; domum umbris Leviticis
intus, foris larvā pietatis ornatam, & Scopis illis dissolutis,
erroribus justitiariorum, de B. O. meritis, eximiè per-
purgatam, Luc. XI, 25. Tum Canaan erit quocunque
in solo Sol justitiae orietur, quodvis Municipium Soly-
morum instar, quodlibet tuguriolum Tabernaculi ima-
go, qui vis Christianus Templum vivum Dei viventis,
omnis angulus oratorium, omne cor contritum sacri-
ficium juge, cuncti fideles sacerdotes Mystici, sancti
omnes quotquot recte faciunt, metuunt nihil, sibi impe-
rant, scelum vincunt, Reges spirituales, quinimo
quotquot piè vixerint DEI populus & peculium!

Atque hæc *plana* mihi verborum *Joëlis* sententia,
videtur, qui Christi *Natalitia* v. 17, 18, *Pascha ταυρόσμου*
v. 17, 20, *Pentecosten* v. 20, 21. depingit. In quâ opinione
f. Antecedentia Joëlis, f. consequentia in sermone
Petrino attendam, confirmor.

SECTIO IX.

Perquam enim probabile est Petrum, subobscurum
hunc Joëlis locum allegantem, non neglexisse *explica-
tionem vel applicationem*, quam si animum advertamus
ad

ad ea, quæ sequuntur, facile erit reperire; in primis cum vestigia explicati dicti, & ad JESUM Nazarenum applicati, in veniam quidem, verum tecta, ut amant magni atque Enthei oratores filum orationis celare. Namque (1) describit v. 22. cunas servatoris, JESUM ob circumcidionem, *Nazarenum* ob educationem vocans (2) virilem ætatem, τὸν ἄνδρα (3) vocationem, ἀπὸ Θεοῦ (4) legitimationem vocationis, ἀποδεδεγμένον (5) medium legitimandi, τέρατα καὶ σημῖα (6) divinitatem, ἐπόιησε Θεὸς per humanam naturam (7) officium mediatorium, Θεὸς εὐ μέσῳ, Immanuel, qua voce à Joële salutatur. (8) παθήσαται paschalia, quem vos προσπήξαντες ἀνίλετε. Evidem fīlet Petrus prodiga, sanguinem, ignem, Eclipsin, verū illa notoria & nupera erant, ante 50. dies circiter gesta, aētum egisset ea repetendo. Subjungit v. 24. (9) τὰς αἰδίνας Εθανάτας, cruciatus in anima & dolorem in corpore. Hoc unum acturus ut (1) fundamentalem articulum de resurrectione, sine quā fides nostra inanis est & sub reatu peccatorum manemus, probet auctoritate Davidicā v. 25. - 31. & αὐτοψίᾳ Apostolicā v. 32. (2) ut evincat sessionem ejus à dextris Patris & (3) effusionem Spiritus S. v. 33. teste Davide v. 34. 35. (4) ut tandem concludat: Ergo JESUS Nazarenus est ille, qui quod nunc videtis & auditis effudit. Perbellè hâc ratione conjungit articulos concatenatos de Nativitate, officio, Passione, Resurrectione, adscensione, sessione, Missione. Nil supererat post hanc magnam & illustrem diem Pentecostes, quā aliqui pauculi Spiritum Sum. acceperant, quam ut *vocatio gentium universalis suscipetur*. Satisfactionum erat abundē per praecedentia calumniis eorum, qui Apostolos ebrios esse clamitabant: Venerat dies illa magna & illustris, ne cum autem tota cesserat. Ne vero crede-

crederent vaticinium solummodo de dodecade Apostolicâ, aut Dodecaphylo agere, aut deinceps semper eâdem ratione effundi debere Spiritum. Sum, Plures vocare, quin unâ vivum exemplum sistere voluit Deus, quomodo in Ecclesia plantatâ, vocare homines & Spiritum. Sum. dare velit? v. 37, Præcedat nempe, apud adultos, auditus fidem (*άκταντες*,) sequatur contritio (*ποτενύγοσαν τὴν καρδίαν*,) adfis oportet bonum propositum (*τι ποιησομεν;*) cum charitate (*ἀνδρες ἀδελφοί,*) Verum nihil fecius, quamvis apud adultos pœnitentia & fides præcedat baptismum, nec ille ὄχημα, vehiculum, conferenda, sed *σφραγίς*, sigillum, collatae fidei sit, non tamen est spernendus v. 38, *baptifetur ergo unusquisque vestrum & accipietis Sp. Sum.* Etenim, non ad vos solos, sed ad vos & liberos vestros Joëlis *ἐπαγγελία* spectat, ne quidem exclusis *τοῖς εἰς μαρτὰν* v. 39; atque tum *conversi 3000.* v. 41, qui post baptismum in *informatione* Apostolica *perseverantes*, tandem ad *κονοντιανά calicis & υλῶν ἀέρα* admissi, *precibus*, post Synaxin perceptam necessariis, vacavere, v. 42, *horrore quodam sacro*, post mysteria *Φρικοδέσατα*, perfuti in DEI timore *ambularunt*; additumque dono *sanctificanti*, *donum miraculorum*, *τέρατα καὶ σημεῖα* Apostolica v. 43, Et quia non latebat illos imminere excidium Hierosolymitanum, in quo quicquid fundorum & opum congelatum, præda loco cedere debebat Harpyis Romanis, itaque *ἄλιον ἀπαντα nouā* v. 44, 45, 46, Atque, *ut dicimus*, *cantabit nudus coram latrone viator*, sic illicet depauperati Hierosolymiani, immunes ab ejusmodi pedicis, sola pauperate suâ securi, inter latrones orbis, Romanos, Deum laudarunt, v. 47.

SECTIO X.

Atque *idem filium* videor mihi observasse *apud Joëtem.* Hic Cap. II. v. I - II. depingit *μετωνεσίαν* Babyloniam
H

cam v. 12, - 17. ad pœnitentiam apud Babylonios agen-
dam horratur, v. 18, - 20. liberationem ab Assyriis Bore-
libus pollicetur, v. 21, - 26. canit de felicitate temporibus
Edræ, Nehemiae, &c. Terrâ florente, animantibus se-
curis, fertilibus arboribus, hominibus præconio justi-
tiae & pluvia matutina & serotina beandis v. 27. quum stil-
lare debeant cœli & nubes pluere justitiam. Ihs solt er-
fahren/dass ich (novo prorsus modo, ut Immanuel & Me-
diator Dei hominumq; Deus carne vestitus, de quo vox
illa clamantis in deserto Joh. I, 26. In medio vestrum ste-
tit, quem vos nescitis!) Mitten unter Israël sey. v. 28. Et
post hos dies incarnationis fiet ut effundam Sp. Sum, rarius
quidem ante Pentecosten, largius in eā, post eam largis-
sime latissimeque. Si consequentia lustremus promittit
Cap. III. v. 2, 3, se virginam castigationis in ignem velle,
projicere, Romanos per bella intestina punire v. 4; quod
χαιρίπανοι Tyrri & Sidonii, qui, mangonum & scrutario-
rum instar, bona & homines vendidere, non impunè id
facere debeant, Parthis & Sarracenis objiciendi, v. 9, De
præliis Constantini M. Theodosique cum infidelibus
agere videtur. v. 10, halcyonia Ecclesiæ sub primis Cæ-
saribus pollicetur. v. 11, 12. de diluvio barbararum gen-
tium, quo v. c. Gothi, Alani, Vandali, Hunni, Tartari,
Turcæ Imp. Romanum inundavere; qui quidem su-
binde in vallem Josaphat ducti, per Theodosios, Caro-
los, Aucupes, Leopoldum, præliis sæpiissime, nonnun-
quam etiam bello, superiores; Ast ipsis luctandum fore
cum hac hydra Lernæa, Turcis Tartarisque in primis,
donec v. 13, Angeli messę instantे falcem applicabunt, &
Deus v. 14. diem pantocriticam intimabit, cuius signa
v. 15, describuntur; qui voce Archangeli reboans v. 16,
terror impiorū, amor piorum futurus est, erecta v. 17, 18,
Hierosolyma supræcelesti, felicissima v. 19, & æterna

V. 20

v. 20, *Egyptus autem & Edom, quæ Regiones typum inferni gerunt, ut Palæstina cœli, h.e. omnes mali, non solum pœna damni afficiuntur (v. 19, wüste werden/.) sed etiam pœna sensus (v. 21. das Blut an ihn rächen/ v.)*

Pulchrè Esaias : *Ego, Ego ipse, delens prævaricationes tuas propter me Cap. 43, 25.* quod meritorie, die Soteriorum factum, arguit v. 24. Et mox Cap. 44, 3. *Effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam.* Quod impletum die Pentecostali. Eadem Sermonis limpeditate Zacharias Cap. 12, 10. Et effundam super domum David, cognatos meos, primò conversos, ex quorum censu maxima Apostolorum & piarum muliercularum pars constitit, & dein promiscue super habitatorem Hierosolymitanum in Pentecostali feria, spiritum gratiae & miserationum; & adspicient, quem transfixerunt. Quod de vibicibus, ad judicium reddituri Messiae, accipi haud posse Schertzerus probat, & sequentia arguunt, quia v. II. illud eà die fiet, *qua familia Davidis, Nathanis, Levi, Simeonis & reliquæ, ab invicem distinctæ, apparebunt.* Quod utique hodie non constat, Judæis Eliam vel Messiam, qui Tribus & Genealogias, promiscuis connubiis invicem permixtas, restituat, & ab invicem discernat, expectantibus; quod, post sanguinis confusione, tam impossibile, ut Theologi palmarium argumentum hinc depromant pro convincendis Judæis; Atque hæc allegare videtur Servator Joh. VII, 38, 39. Fons est Christus, aqua viva Sp. Sanctus, Fideles, ventrosæ cisternæ, abunde undas has excipienti, & in alios transfundenti, similes: *Quisquis ergo credit in me, sicut dixit scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ viva.* De Spiritu autem sancto, quem accepturi erant dixit hoc, nondum enim erat impetratus, Sp. Sanctus, nondum æterni Spiritus charismata, visibiliter, copiosè, sec.

nobile Joëlis vaticinium, in Pentecoste complendum, erant effusa; *Quia Iesu nondum erat per, παθήματα, resurrectionem, adscensionem, sessionem, glorificatus, cuius erat, prius patiendo nobis sp. sum. acquirere, deinceps victoriam & triumphum, spolia opima distribuere, tandem, post discessum unius Paracleti, alterum mittere.*

Atque hæc haçtenus!

Quod superest testor, ex animo, me contra frigidiusculas quorundam explicationes loquentem, nolle frigidam suffundere Atheis vel securis, dicta de judicio nequiter elevantibus, omnem mysteriorum fidem, Numinis reverentiam, Nemesis horrorem excutientibus. Salva est Thespis, lis de Exegeſi, in qua nemo infallibilis. Abundè est dictorum quibus impietas debellari, veterius extergi, contumacia obtundi, impudentia confundi queat; Nec opus huc trahere, que minus ad rem factunt, ne acutioris naris hominibus vel nauseam moveamus vel bilem; in primis cum metus ille legalis, non ex visceribus textus, sed contra mentem Sp. Si incusus, parum moveat, minus promoveat. Exegetas dissentientes & ferre didici, & laudare possum, & prefero quandoque. In Exotericis ad populum utor fruorque horum laboribus. Ad minimum Explicatio eorum, Applicationi inservit, in illa tum brevior, in hac prolixior sum. Hec vero dissertatio Acroamatica est, addo & problematica, Ecclesia censuræ subjicienda, quippe quam piam Matrem tenerius & purius amo, quam vel ipsi Pontificii, superstiosi fuli.

Praetexta porismata, palmarium alias pii colloquii argumentum, non subjecero, credut enim inter operas Meltemia.

Boni consile que dicta L. B. & linguis animalibus favens valeto!

D. S. G.

153635

AB 153635 (1)

Vd 18




3

fl

Vd 17





10

NOVA
De
**NOVISSIMIS
DIEBUS,**
Ad Problematica
DISSERTATIO

Occasione dicti Joëlici Cap. II. v. 28.-32.

In Actis Apost. Cap. II, 17.-21. repetiti


In Pia quadam Fratrum Synodo

Proposita

Benignæque eruditiorum Censuræ

Exposita

ANNO M D CCII. Mense Febr.



NEO-RUPPINI Typis THILENIANIS.

